

**ADRIANI  
MANGOTII  
GOUDANI SOC.  
IESU MONITA  
MARIANA EX S...**

---

Adrien Mangot, Josè Maria  
Fonseca de Evora






ADRIANI MANGOTII  
GOVDANI SOC. IESV  
MONITA MARIANA

E X

S. SCRIPTURA & SS. PATRIBVS  
POTISSIMUM COLLECTA,

Sodalibus Deiparæ Virginis Ant-  
uerpiæ dicta, omnibus  
vtilissima.

*Additur duplex declaratio Dominica Passionis, cum triplici Indi-  
cerum precipuarum qua Monitis sacris &  
hisce Marianis continentur.*



A N T V E R P I A E

Apud Hieronymum Verduſſen

M. DC. XIV.

*La. 65. no. 119.*

CAROLVS SCRIBANIVS  
 PRAEPOSITVS PROVINCIA-  
 LIS SOCIETATIS IESV PER  
 Flandriam, Hieronymo Ver-  
 dussen Typographo.

**H**IXTA Privilegium à Serenissi-  
 mis Principibus nobis concessum, po-  
 testatem tibi facio imprimendi Moni-  
 ta Mariana Adriani Mangotij Gondani, Socie-  
 tatis nostrae Sacerdotis; & eiusdem Privilegij  
 tenore caueo, ne alius imprimat, aut alibi impres-  
 sa in Belgio vendat, sub poenis in ipso Privilegij  
 instrumento contentis. In cuius fidem has manu  
 mea subsignavi.

Antuerpiae, anno 1614. 17. Martij.

CAROLVS SCRIBANIVS

ADMODVM REVERENDO  
 IN CHRISTO PATRI AC  
 D.D. ANTONIO DE WINGHE,  
 ABBATI DIGNISSIMO,  
 & celeberrimo Monasterij  
 Latiensis conuentui.

**C**VM statuissem Monita quæ Deiparæ Vir-  
 ginis sodalibus Antuerpiæ dixi, in posteros  
 transmittere, operæpretium me facturum putavi,  
 si illa R. P. Tuæ, totique fratrum tuorū conuen-  
 tui inscriberem. Magnum enim solidæ pietatis af-  
 fectum, quo in Deiparam nostram rapi vos video,  
 tanquam ignē cælesti hoc folle fouere, augereque  
 Deo aspirante, cupio. Et sanè qui hanc genitri-  
 cè non nititur in terris habere matrem, quomodo  
 in cælis Deum habiturus sit Patrem, ego non vi-  
 deo. Sensisti hoc sagaci prænotione, nec segnius  
 rem exequeris. Illius proinde patrociniò, con-  
 uentum, cui te Deus præesse voluit, credidisti,  
 prædecessores tuos, ac imprimis Ludouicum  
 Blossum, magnum virum, & de Ecclesia tota op-  
 timè meritum, sequutus. Quo etiam nomine  
 Monita hæc R. P. Tuæ, fratribusque tuis non  
 ingrata fore arbitrabar, maximè quod scriptu-  
 rarum ac Patrum testimonijs refertissima sint;  
 quorum lectione non parum vos delectari, con-  
 stans multorum fama affirmat. Quid enim aut iu-  
 cundius aut vtilius vris Deo sacratís, quam Deum

ipsum in scripturis suis, Patribusq; quos, Augustino teste, lib. i. cont. Iulia. cap. 10. *sibi vtilia vasa formavit, & sancta templa construxit*, audire loquentem, docentem, monentem, exhortantem, consolantem, roborantem, promittentem, præmiantem? Neque hic laudes expecta tuas: cælo recondet illas Deus. Sed neque grati in te tuosque animi, quo teneor, signum: tota præmia relinquo carpenda cælo. Nihil illi gloriæ aliquando concedendæ defrustrari volo. Memor etiam illius Ignatij, in epist. ad Trallia. *Qui me laudant, flagellant*. Non flagellabo, quia non laudabo, neque aliud laudum loco, quàm hunc affectum meum à candido pectore candidum offero. Etiam munera pauper in Christi spontaneos pauperes plena largior manu. Suscipe: & hunc virgineum partum virginitatis cultor, amator, virginea mente & manu suscipe. Aderit votis tuis, meisque Virginis nostræ filius parensq;: implebitque fratrum tuorum puras mentes, tanquam torcularia cœlestis vineæ cultoris, musto virginum genitori, reponetq; aliquando cælo, tanquam cellis dilecti sui virginea tuorum vota Virgini matri æternum libanda. Ita voueo. Antuerpiæ, 17. Martij. 1614.

Admodum reuerendæ Paternitatis tuæ seruus in  
Christo, Virginis nostræ magnæ maiore filio.

ADRIANVS MANGOTIVS.

## Prefatio ad Lectorem.

**D**O in lucem, beneuole Lector, hæc Monita Mariana, ex S. S. Scripturarum, ac Patrum sententiis potissima composita. In quorum verbis & rebus maximam esse altitudinem sapientiæ, nemo est qui nesciat. Ad hoc mouit me hæc ratio, vt pluribus possem prodesse, non verbo tantum, sed & scripto. Deinde quod honorem Deiparæ Virginis Mariæ pro meo modulo etiã sic cuperem promouere. De qua S. Aug. *Sola nostro vulnere medicinã parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.* Et D. Bern. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transfiret.* Inueniet in his Lector varia virtutum exempla, quibus Deipara præ cæteris omnibus fuit ornatissima. Ad quæ discenda & imitanda splendor & nobilitas ipsius Virginis vehementer vnumquemque incitare debet. *Primus enim ardor discendi, inq. S. Ambros. nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? Talis fuit Maria, vt eius vnus vita omniũ disciplina sit. Si igitur author non displicet, opus probemus: vt quicũque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum.* Sic Ambros. *Nemo dicat multa iam eiusmodi ab aliis esse conscripta, ac posteritati tradita: sed meminerit sententiæ D. Augustini: Expediit plures libros à pluribus fieri, diuerso stilo, non diuersa fide, etiã de questionibus isdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Vnde & Apostolus Paulus plures doctores in Ecclesia loqui vult & audiri, tum propter alias causas, tum quod hic illius doctrina, & exhortatione magis moueatur ac proficiat, ille vero alterius. Quis scit quo modo, & qua ratione Deus velit hominem conuertere, proficere, & ad salutem perducere. Nemo requirat a me *cultum ac pompam sermonis, qua, vt ait Ambros. prædicatio & fides Christiana non indiget, ne videatur esse ex versutia & calliditate humane sapientiæ, non ex veritate. Gloriam suam querit, inquit, qui fidem Christi verbis exornare vult, obscurat crimine. Sic dicitur verborum, vt non illa, sed ipse*

Aug. epist.  
3. ad Volu-  
fia.

De peccat.  
merit. lib. 1.  
cap. 29.  
Ser. 3 de  
Vigilia  
natiuit.

Lib. 2. de  
Virginib.

Lib. 1. c. 3.  
de Trinit.

In cap. 1.  
1. ad Cor.  
2. Cor.

Tract. 26. in  
Ioan.

Aug. in  
Psal. 69.

*ipse laudetur.* Propositum mihi est veritatem, qua, vt ait S. August. nihil fortius desiderat anima, nunc proponere, aliisque qui volunt ac valent, materiam suppeditare hisce de rebus copiosius ac rectius disse- rendiis maximè, quibus à Deo iniunctum hoc mu- nus, vt sint laudabiles Canes, Domino suo fidem seruantes, qui & gratia linguæ medicinalis in multis multos curent morbos animarum: & magnos pro Deo eiusque Matre Virgine Maria, ac spiritali do- mo, quæ est Ecclesia, contra inimicos fidei latratus e- dant. Tu, lector, hoc meum opusculum boni con- sule, ac in Domino Vale.

## PROPOSITA.

1. Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Ma-  
trēm suam. Eccles. 3. fol. I
2. Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa con-  
teret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo  
eius. Gene. 3. 13
3. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur  
nomen eius Emmanuel. Isai. 7. 25
4. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice  
eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Do-  
mini. Isai. 11. 34
5. Nouum creauit Dominus super terram; Ecce  
circundabit virum. Ierem. 31. 43
6. Porta respiciebat ad Orientem, & erat clausa, &  
dixit Dominus ad me; Porta hæc clausa erit, non  
aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam  
Dominus Deus Israel ingressus est per eam. E-  
zechiel. 44. 56
7. Abscissus est lapis de monte sine manibus, & factus  
est mons magnus, & impleuit terram. Da-  
niel. 2. 65
8. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?  
Luc. 1. 78
9. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum  
tuum.



- 10 *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi à Domino. Luc. 1.* 101
- 11 *Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth. Luc. 1.* 111
- 12 *Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.* 123
- 13 *Factum est ut audiret salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius. Luc. 1.* 132
- 14 *Tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2.* 142
- 15 *Cum inducerent puerum Iesum in templum parentes eius. Luc. 2.* 156
- 16 *Vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini. Luc. 2.* 168
- 17 *Mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria. Luc. 10.* 181
- 18 *Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Martha autem saepebat circa frequens ministerium. Luc. 10.* 192
- 19 *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.* 203
- 20 *Arcam delignis setim compingite. Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris. Exod. 25.* 213.
- 21 *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ioannis 1.* 222
- 22 *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Ioan. 6.* 229
- 23 *Qua est ista quae ascendit de deserto, innixa super dilectum suum: Cant. 8.* 239
- 24 *Virtutes Sanctissimae Virginis ex S. Ambrosio.* 247
- 25 *De iisdem virtutibus, ex eodem.* 258

D. IRENÆVS *Lib. 5. cont. Hæreses.*

Obediens virgo Maria, inobedientis virginis Eux facta est aduocata.

S. AMBROS. *Lib. 2. de Virginib.*

Talis fuit Maria, vt eius vnus vita omnium disciplina sit.

AUGVST. *de Symb. ad Catechum.*

Per fœminam mors, per fœminam vita:  
per Euam interitus, per Mariam salus.


S. BERNARD. *serm. vlt. de Assumpt.*

Opus est Mediatore ad Mediatorem  
Christum; nec alter nobis vtilior,  
quàm Maria.

ADRIANI MANGOTII  
MONITA MARIANA,

E X

SS. SCRIPTVRIS ET S. PATRIBVS  
POTISSIMVM COLLECTA.



MONITVM PRIMVM.

*Sicut qui thesaurizat, ita & qui hono-  
rificat Matrem suam.*

Ecclef. 3.



**R**I P L E X nobis Mater est;  
quam honore afficiendo;  
thesaurifanti similes effici-  
mur. Vna, Mater carnis, quę  
nos in hanc lucem edidit;  
altera, Ecclesia; quę in Chri-  
sto per baptismum nos re-  
generavit. Tertia, ipsa Virgo Sanctissima,  
quam Christus communem generis humani  
matrem constituit. Primam diligenter ho- Exod. 20.  
norare præcepit Deus, dicens, *Honora Pa-  
trem & Matrem*. Vnde & Tobias ad filium; Tob. 4.  
*Honorem, inquit, habebis Matri tue omnibus diebus  
vite tue; metnor enim esse debes, quę & quanta peri-  
cula passa sit propter te in utero suo.* Et Sapiens; Ecclef. 7.  
*mitus Matri tue ne obliuiscaris; quos scilicet, &*

A

ante

ante partum in vteri gestatione, & in partu, & post partum in educatione sustinuit: quorum memoria honoranda, semperque cauendum ne qua re offendatur; ne noui gemitus prioribus addantur.

In Epistola  
ad Matrem  
& filiam,

D. Hieronym. ad filiam, quæ Matrem, quod difficilibus esset moribus, volebat deserere; *Mater*, inquit, *premiu habebis, si talem non deseras: Mater te diu portauit in vtero, diu aluit, & difficiliore infantia mores blanda pietate sustinuit. Laui pannorum sordes & immundo saepe foedata est stercore. Assedit aegrotanti, & quæ pro te sua fastidia sustinuit, tua quoque passa est, ad hanc perduxit aetatem, vt Christum amares, docuit.* Et D. August. loquens de Matre

Lib 9.  
Conf. c. 12.

sua; *Gratulabar quidem, ait, testimonio eius, quod in vltima sua aegritudine obsequijs meis interblandiens, appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, nunquam se audisse ex ore meo iaculatum in se durum aut contumeliosum sermonem. Sed tamen quid comparabile habebat, honor à me delatus illi, & seruitus ab illa mihi?* Hanc ergo qui honorat, quasi thesaurizat, quia multa bona sibi comparat honorando; addit enim Dominus, *Vt bene sis tibi, & sis longæuus super terram.* Quo non solum

Prouerb. 1.  
Ecclef. 3.

promittitur vitæ longa, sed & beata ac iucunda: omnia enim quæ ad vsum & splendorem huius vitæ pertinet, promittuntur honoranti parentes; vt sunt honor, dignitas, diuitiæ, lætitia ac successus ex animi sententia. Imò sub hac promissione felicitatis ac vitæ terrenæ, promitti intelligitur felicitas & vitæ æternæ; *Pietas enim ad omnia utilis est, inquit Apostolus, habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futura.*

1. Tim. 4.

Secun-

Secunda Mater est Ecclesia, *illa*, ait idem Galat. 4. Apoſtolus, *quæ ſuſum eſt Hieruſalem*, id eſt, cuius conuerſatio in cœlis eſt, quæ ſuſum ſunt querens, & ſapiens, non quæ ſuper terram; *Mater noſtra eſt*, precibus ſuis & deſiderijs ſanctis in Bâptiſmo nos Deo pariens, ac doctrinæ ſuæ lacte nutriens; ad cuius vbera ſugenda conuocat nos Iſaias: Quibus inhærebat Auguſtinus conuerſus ab erroribus Manichæorum: *Iam*, inquit, *vbera Eccleſiæ* (quæ ſunt vtriuſque Teſtamenti Scripturæ) *poſt longiſſimam ſiſimam perſe exhaustus atque aridus, totâ auſultate repetiui, atque altiùs gemens & flens, concuſſi & expreſſi.* Hanc etiã Matrem qui honorat, quaſi theſauriſat, quia ſibi bona plurimã ac comoda coaceruat.

Iſai. 60.  
De Vtilit.  
cred. cap. 1.

Inprimis per illam fit, vt fides, Sacramenta, opera bona, ſint ſalutaria ac fructuoſa, quæ extra eam non profunt. *Neque fides*, inquit, *Auguſt. neque Sacramenta, vllis niſi perſiſtentibus in Eccleſia vnitare ſunt ſalutaria.* Et D. Hieron. cum Euſtochium Virginem ad opera bona eſſet hortatus: *Vniuerſa hæc*, ait, *tãnc profunt, cum in Eccleſia ſiunt, cum in vna domo Paſcha celebramus, ſi arcam ingredimur cum Noë, ſi pereunte Hierico, Rhaab meretrix iuſtificata nos conſinet.* De eadẽ loquens D. Gregor. *Sola eſt*, inquit, *per quam ſacrificium Dominus libenter accipit; ſola quæ pro errantibus ſiucialiter intercedit. Sola eſt in quã opus bonum fructuoſe peragitur: ſola eſt quæ intra ſe poſitos valida charitatis compage cuſtodit. Sola in qua ſuperna veraciter contemplanur.*

De vnit.  
Eccleſ.  
In Epift. ad  
Euſtoch.

Lib. 35.  
Moral. c. 8.

Deinde qui in ea eſt, particeps fit omnium

A 2 bone-

4                    MONTA MARIANA

- bonorum quæ in ea fiunt. Varia sunt in Ec-  
clesia dona Spiritus Sancti, nec omnes omnia  
habere possumus. *Si amas unitatem*, ait August.  
*nihil non habes, nam etiam tibi habet, quisquis in ea*  
*aliquid habet. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo;*  
*collam invidiam, & meum est, quod habes. Liyor se-*  
*paras, Caritas iungit. Unde quidam ex eius*  
filijs; *Particeps ego sum omnium timentium te (Do-*  
*mine) & custodientium mandata tua. & alius*  
sua bona alijs communicans; *Habeo vos, in-*  
quit, *in corde meo, & in vinculis meis, & in confir-*  
*matione ac defensione Euangelij; socios gaudij mei*  
*omnes vos esse.*
- Tertio, per eam, cùm sit *columna & firmamen-*  
*tum veritatis*, Christianus, contra omnes hære-  
ses & errores optimè munitus est. *Non oportet*  
*apud alios quærere veritatem*, ait D. Irenæ. *quam*  
*facile est ab Ecclesia sumere; cùm Apostoli, quasi*  
*in depositorium diues, plenissime in ea con-*  
*tulerint omnia, quæ sunt veritatis. Et S. Aug.*  
*Noli decipi nomine veritatis, hanc sola Ecclesia Catho-*  
*lica habet, & in lacte suo, & in pane suo; in hæresi au-*  
*tem tantum nomen eius est, non ipsa. Dicit Prophe-*  
*ta David; Proteges eos in tabernaculo tuo à contra-*  
*ditione linguarum. Vbi D. August. Multa lingua,*  
*id est, multa hæreses & diuersa schismata, contradi-*  
*cunt veraci doctrina. Tu curre ad Tabernaculum Dei,*  
*Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli dis-*  
*cedere, & protegeris in tabernaculo Domini à con-*  
*traditione linguarum. Et D. Hieron. Poteram, in-*  
*quit, omnes propositionum tuarum riuulos vno Ec-*  
*clesia sole siccare. Et, semper habui studio audientibus*  
*loqui, quæ publicè in Ecclesia didiceram; nec Philoso-*  
*pho-*

Tract. 32,  
in Ioan.

Psalm. 118.

Philip. 1.

1. Timot. 3.

Lib. 3. c. 4.

Cõt. Faust.  
lib. 15. c. 3.

Psalm. 30.  
& ibi D.  
August.

Cont. Lu-  
cifer.  
Ad Ctesi-  
phont.

phorum argumenta sectari, sed Apostolicæ simplicitati acquiescere,

Denique si in eius fide ac vnitatem permanet, certò salutem consequitur, quæ extra eam nulli datur. Vnde Dominus ad eam: *Eos qui te iudicauerunt, ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo. Quisquis (ait D. Cyprian.) ab Ecclesia segregatus, adultera iungitur, à promissis Ecclesia separatur; nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christe.* Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. *Sola est Ecclesia Catholica, inquit Lactant. quæ verum cultum retinet; hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei; Quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet, pertinaci concertatione blandiri; agitur enim de vitæ ac salute, cui nisi cautè & diligenter consulatur, amissa & extincta erit.*

Tertia Mater est, ipsa Virgo Maria, Mater humani generis à Christo in cruce constituta, quando Ioanni dictum est; *Ecce Mater tua.* Ioannes enim typum gerebat omnium habentium gratiam Christi, omnium discipulorum Christi, omnium habentium integritatem fidei & pietatis, *Ostendebat, inquit D. Epiph. Christus in cruce pendens ipsam Matrem esse Principem Virginitatis, quoniam ex ipsa vita erat.* Ego, ait Sponsus ad Ecclesiam, *sub arbore malo excitauit te; ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est generix tua, id est, Ego te excitauit à morte peccati, dum pro te in cruce mortuus sum, ibique tibi Matrem constitui, vbi primùm Mater tua Eua per superbiam corrupta, & per*

apertam inobedientiam à Sathana violata est. Si omnis anima pia faciens voluntatem Dei, his quos charitate parturit donec formetur in eis Christus, mater est; vt recte August. quando magis Maria omnium Christi membrorum mater est, quæ tam ardenti charitate, cooperata est, vt membra Christi fierent?

De S. Virg.  
cap. 5. & 6.

Lib. 3. cõt.  
hærel.

Serm. 1. de  
Pass.

In oratione  
de Deipara  
Virg.

Hanc qui honorificat, quasi thesaurizat; plurima enim tum corporalia, tum spiritua- lia beneficia hominibus à Deo præstantur precibus ac meritis sanctissimæ Matris. *Obediens Virgo Maria*, inquit D. Ireneus, *inobedientia Eue (& filiorum eius) facta est aduocata*. Et quis erit tam impius, qui credat aut asserat, ex eius aduocatione nihil aut parum boni ad nos descendere? Eandem *Salutiferam Virginem*, appellat D. Leo. Et Germanus Episcopus Constantinop. grauis author, *Quemadmodum*, inquit, *continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic Sanctissimum Maria nomen, quod in Dei seruorum ore assidue versatur, simul argumentum est, quod verã vitã viuant, simul etiam hanc vitam ipsam efficit, & conseruat, omnemque eiu lætitiã & opem ad omnia impertitur.*

Cum ad benefaciendum duo requirantur, primùm potestas, deinde etiam voluntas; vtrumque in Maria tantum ac tale est, vt maius optari non possit: Nam potestatem quidem, vt ita dicam, eandem habet, quam ipse filius, sed hic naturã, & propriam, illa dono & communicatam. De voluntatis autẽ pietate & benignitate, quis satis vel loqui, vel etiã cogitare possit, eius videlicet quæ Diuinæ boni-



bonitatis abyſſo, cui ita coniuncta eſt, quodammodo abſorbetur, & immergitur? Quãobrem rectè D. Bern. de utroque: *Regina, in-* Serm. e. de  
Aſſump-  
*quit, cœlorum eſt, miſericors eſt, denique mater eſt vni-*  
*geniti filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius ſeu*  
*pietatis magnitudinem commendare; niſi fortè aut non*  
*creditur Dei filius honorare Matrem, aut dubitare quis*  
*poteſt, omnino in affectũ charitatis tranſiſſe Maria vi-*  
*ſcera, in quibus ipſa, qua ex Deo eſt, charitas, nouem*  
*menſibus requieuit.*

Sed antiqua quædam exempla adferamus in medium, quibus fiat clariffimũ, quantum poſſit ac velit, hominibus ſe honorantibus, benefacere. Ait D. Greg. Nazianz. *Virgo qua-* Orat. 18.  
*dam erat, ( Iuſtinam martyrem intelligens )*  
*parritio genere nata, honeſtiſſque moribus prædita, for-*  
*mã perquam liberali & egregiã; Huius amore magnus*  
*Cyprianus captus eſt, nec tantũ captus eſt, ſed eius*  
*quoque pudicitiam tentabat; Virgo Virginem matrem*  
*ſupplex obſecrat, vt perulitanti ſibi ſuppætiã ferret,*  
*ieiunij & chameunia, ſeu humicubationis pharmaco-*  
*ſeſe communiens, partim vt forma venuſtatem tanquã*  
*inſidioſam obſcuraret, ſicquæ flamma materiam ſub-*  
*traheret, ac libidinis faciem abſumeret; partim vt per*  
*ſui afflictionem propitiũ ſibi Deum ac exorabilem red-*  
*deret. Quem porrò fructum, ex ſui afflictione,*  
*& maxime D. Virginis inuocatione perce-*  
*perit, ſubdit Nazianz. Virgo ſuperat, demon ſu-*  
*peratur; atque ob fidei & pudicitiaſ conſtan-*  
*tiam Martyrij coronã donatur.*

Iuſtinus Imperator, cùm vaſtari à Perſis audiret Imperium, ad conciliandum ſibi Diuinum Numen, Dei Genitrici Mariæ tem-

In Miscella. plurimum erigendum curauit, vt scribit author Miscellæ; Quænam autem sit Iustinus à Deo, ob piè factum beneficia consecutus, idem author mox addit, nimirum, quòd cum deliquo mentis laboraret, ob idque res Imperij in summo essent discrimine positæ, tantum ei Dei Genitrix præstitit sanitatis, vt dilucido interuallo potitus, cunctis rectè dispositis, statum Reipublicæ in tuto collocaret.

In Constitut. de officio Præfetti Pretorio Africæ.

Iustinianus verò Imperator, fultus præsidio & intercessione Sanctissimæ Virginis, quam vt ipsemet scribit, solitus erat inuocare, facillimè vniuersam subiugauit Africam, aliæque innumera beneficia accepit; sic vt mutuis quodammodo officijs atque etiam beneficijs visi sint certalite Dei Genitrix & Iustinianus. Hic eam honorando, extruendis & exornandis varijs Ecclesijs, eiusque summum omnium titulum dignitatis aduersus improbos Nestorianos defendendo, quo verè Dei Mater appellaretur; illa cum honorem compensando, ipso imprimis Imperio, & amplissimis victorijs in eo partis, alijsque ingentibus muneribus.

Sic & bellicosissimus vir Totilas Gothorum Dux, cum potentissimo exercitu, innumeris claris victorijs, ac viribus pollens, à semiuiro Narsete (Eunuchus enim erat) in omnibus nitente Mariæ virginis ope, victus ac deletus est; de quo ita Euagrius; *Commemoratum est ab his, qui ynà cum Narsete fuerunt, dum precibus, & alijs pietatis officijs Diuinum numen placaret, debitumque cultum ei tribueret, Sanctam Virg-*

MEMO

Lib. 4, c. 23

nam Deiparam ei apparuisse, planèque tempus præscripsisse, quo bellum cum hostibus gereret, atque ut non prius ad prælium committendam se accingeret, quàm cælitus signum acciperet. Intelligite, Auditores, cuius niti præsidio debeant Duces, ut maxima quæque & inconcessa alijs præstare valeant, nimirum Dei Genitricis Mariæ, quæ interpellata precibus aduersus hostes conturgat, de ea enim canit Eccl. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Cuius fultus auxilio Nares indomitos barbaros est expertus imbelles.

Cant. 6.

Peste Romæ admodum grassante, in Processione à D. Gregorio magnâ veneratione delata Imago D. Virginis; cumque peruenisset ad molem Hadriani, visum ibi Angelum ensem in vaginam recondere, in signum reconciliaci Numinis, pestemque cessasse, testantur historiæ.

Vide Baron. tom. 5.

Eiusdem Virginis intercessione Constantinopolitanos à peste liberatos, etiam scriptis proditû; quæ cum annos quinquaginta duos inter homines grassata sit, neque Orientem solum, sed vniuersum ferè terrarum orbem depasta, non amplius quàm tribus mensibus ciuitatem Constantinopolitanam occupauit. Quod beneficium solenni die festo in honorem Dei genitricis instituto, anniuersariaque die in Ecclesia repetendo remansit posteris perpetua memoria consignatum, cum videlicet idè Hypapanti est nominatus, nempe, humilis occurfus Simeonis cum Deipara filium suum Christum Dominum in Templum intulit.

Nicephor. Paul. Diac. Cædrenus. Sigebert.

Ioannes Comnenus Imper. ( vt scribit Nicetas Choniata ) ope Dei Genitricis Mariæ de barbaris Scythis trans Istrum habitantibus, & ingenti agmine Thraciam inuadentibus victoriam obtinuit. Cum ( inquit Nicetas ) Romanæ Phalanges, vtgentibus hostibus & audaciù, se inferentibus laborarent; Imaginem Dei Genitricis cum gemitu & miserabilibus gestibus, Imperator intuehs, lachrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat. Neque id frustra, statim cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligat, quemadmodum olim Moyse extensione manuum Amalechitarum turbas dissipauit, &c. Subijcit etiam de alijs per eundem Imperatorem victorijs obtentis ope pariter sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, cui vt vnicæ victrici religiosum parauit triumphum, qui ab eodem Niceta ita describitur. Byzantium reuersus triumphum indicit, & currum argento interpunctum compingi iubet opus admirabile, & gemmis pretiosissimis ornatum. Cum dies supplicationis aduenisset omnis generis tapetes auro & purpurâ intexti vicos exornabant, nec deerant Christi & sanctorû effigies in ijs ad viuum expressæ, &c. Quadrigæ à quatuor equis niue candidioribus trahebantur. Imperator verò non conscendit, sed Dei Genitricis imaginem in eo collocauit, ob quam lætitia exultabat, & animo penè delinquebatur, cui victorias vt Collegæ Imperij inuictæ acceptas ferebat. Habenas viris potentissimis moderandas, & cognatis suis currum curandum.

dum dedit. Ipse crucem manu gestans pedes antecessit, &c.

Rupertus Abbas Tuitiensis, vir excellenti doctrina, cum ingenio tardior esset, iniretque precibus apud B. Virginem Dei matrem, ut sibi à Filio scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit ei Mater illa gratiæ, denuntians eius preces ab se auditas, tantumque ei lumen impartitum iri, ut nullus eius ætatis doctrinâ ei æquari posset; tantum videret, ne id talentum in terra defoderet, sed strenue exerceret; quod quidem ab illo abunde perfectum constat: numquam etiam deinceps à legendo vel scribendo cessauit.

Trichemias  
in lib. de  
Monast.  
Hirsaug.

Fuit Arnulphus ex Principe Alsatia Religiosus factus, quem Sanctissima Virgo, cuius in vita cultor extiterat, innumerabilium Angelorum stipata comitatu, morientem ac trepidantem ita confirmavit; Quid times, fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam filius meus, cui fideliter seruisti, dabit tibi coronam gloriæ. Quibus ille Virginis verbis & aspectu adeo est recreatus, ut omnis horror mortis in ingentem lætitiâ versus sit.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, omnia beneficiorum genera percurrere possem, quæ Sanctissima Virgo suis cultoribus cumulatissimè est elargita. Dicit D. Hieron. quod propter peccata crucifigentium Christum, hodierna etiam die domus Israël deserta relinquitur, & obscurantur oculi eorum, ne videant, & semper ad terrena incur-

Ad Darda.  
de terra  
promissæ

quatur

Vide Leon.  
serm. 2. & 3  
de Anni-  
uerf. fui  
Pontif.

De laps.

De Cinit.  
lib. 21. cap.  
ultimo.

In epistola  
ad Ioannē  
Episcop.

uatur dorsum eorum; apponitur iniquitas super iniquitatem eorum; multo magis propter Apostolos & Martyres, & maximè propter D. Virginem Matrem adhuc hodie fulget fides, floret pietas, perseverabitque vsque ad consummationem seculi? Cùm Iudicij dies venerit apud Iudicem plurimum poterunt Martyrum merita, & opera iustorum etiam pro alijs, vt ait D. Cyprian. quanto magis merita & opera Sanctissimæ Matris Dei? Denique affirmat D. August. quod in die iudicij multi saluabuntur precibus Sanctorum, quorum propria vita ad salutem non sufficit, non dubium, quin idipsum vel maximè futurum sit, precibus Diuæ Virginis.

Præclare S. Germanus Episcopus Constant. Mariam verè Dei Matrem agnoscimus, pro genere nostro presentissimè intercedentem, ita vt Dominus quidem noster salutem dispenseret, illa verò eam materno affectu pro nobis poscat; quam vtique filius nihil negans honorat. Vnde & alius quidam; *Securum habemus accessum ad Deum, vbi Mater ante filium, & filius ante Patrem; Mater ostendit filio pectus & vbera, filius patri latus & vulnera: Et quomodo poterit ibi vlla esse repulsa, vbi tot sunt charitatis insignia?* Clamemus igitur omnes Paradisi exules ad Sanctissimam Virginem tanquam ad Matrem & Aduocatam nostram; ad illam suspiremus gementes & flentes in hac lachrymarum valle, vt illos suos misericordes oculos ad nos conuertat, & Iesum benedictum fructum ventris sui nobis post hoc exilium ostendat, Amen,

MONI-

## MONITUM II.

*Inimicitias ponam inter te & mulierem  
ipsa conteret caput tuum, & tu  
infidiaberis calcaneo eius.*

Gen. 3.

**S**cripturam hanc, de Sanctissima Virgine Maria, multi ac magni intellexerunt Patres, eamque interpretationem, ab antiquis vsque temporibus approbavit Ecclesia. In eo autem Dæmonem superavit, quod nulla unquam ex parte antiquo serpenti subiecta fuerit, ut pote, ab omni peccati labe prorsus immunis: ac in eo etiam caput serpentis contriuit, quod peccatum originis, cui omnes sumus obnoxij, non contraxerit (quæ nostra est sententia) sed singulari Dei gratia ab eo sit præseruata; quod caput serpentis dicitur, quia ex eo serpens vires omnes suas exprimit tanquam ex capite & radice cæterorum. Vel si fortè quis sentiat, more aliorum conceptam quidem, sed in utero sanctificatam (nihil enim in alteram partem definiuit Ecclesia) non dubium quin ea sanctificatio eousque progressa sit, aut ut extirparetur ex ea radicitus concupiscentiæ vitium, desineretque esse caro peccati, aut ut ita perpetuo gratiæ præsidio premeretur, ut ad nullum ne exiguum quidem peccatum erumperet. *Inde enim scimus,*

D. Bern.  
hom. 2. sua  
per Missus  
est.

De natura  
& gratia  
cap. 36.

*scimus, inquit D. August. quod ei plus gratia col-  
latum sit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ  
conspere ac parere meruit eum, quem constat nullum  
habuisse peccatum.*

Aduertunt autem Doctores, non dictum esse, Inimicitiam, numero singulari, sed inimicitias numero multitudinis, quoniam nulla vnquam cum dæmone habenda amicitia est, sed omne inimicitiarum genus cum illo suscipiendum, non solum in ijs rebus quæ ad fidem aut spem pertinent, sed & ijs quæ ad castitatem, caritatem, abstinentiam, liberalitatem, misericordiam, cæterasque virtutes. Quæ quidem inimicitiarû genera inter Sanctissimam Virginem & antiquum serpentem intercesserunt; nihil enim habuit hæc Virgo, in quo cum serpente isto conueniret, sed ei omni ex parte bellum mouit, in omni genere inimicitias cum eo gessit, in omni materia eum deuicit, ac de eo modis omnibus triumphauit.

Obsertant præterea non dictum esse fraudem, astutiam, dolum, ponam inter te & mulierem, sed inimicitias, vt indicetur multò maiorem futuram mulieris in superando dæmone potentiam, quam fuerit dæmonis in vincenda muliere. Siquidem Dæmon per fraudem, & astutiam, simulatamque amicitiam foeminam decepit, at mulier non per fraudem ac dolum, sed indicto bello, & inimicitijs publicatis, aperto Marte congregiens, dæmonem superauit. Ob quam eximiam fortitudinem, existimauit D. Bern. ad D. Virgine

Prou. 31.

nem



nem spectasse Salomonem cum dixit, *Mulierem fortem quem inuenies?* Ac merito in Cantic. dicitur ipsa, *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ipsa namque sola instar est numerosi exercitus, vniuersis dæmonibus formidabilis, ac terrifica; quod mirum sanè videri debet, tantam videlicet vnius mulieris esse fortitudinem & potentiam, vt ipsa sola pro fortissimo, & numerofo exercitu habeatur.

Serm. de  
Nat. B. Mar.  
Cant. 6.

Quoniam verò etiam inter nos ac Diabolum perpetuæ sunt inimicitæ, qui salutis nostræ maximè inuidus, *tanquam Leo rugiens circum* 1. Pet. 5  
*quærens quem deuoret,* fortitudo hæc Sanctissimæ Virginis in superando Dæmone, diligenter nobis est imitanda. Infidiatur ille calcaneo nostro, vt nos deiciat atque præcipitet, nos eius caput, ad exemplum Virginis conteramus. Et quod quæso caput serpentis à nobis calcandum? *Caput serpentis,* inquit August. In Psal. 103  
conc. 4.  
*Prima peccati suggestio est; Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli tibi mentem tuam tenere, noli consentire. Hoc quod venit in mentem caput serpentis est, Caput calca, & euades cæteros motus.* Et alibi, In Psal. 48.  
*Diabolus calcaneum tuum obseruat quando laboris, vt deiciat te. Ille obseruat calcaneum tuum, tu obserua caput illius, id est, initium mala suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio & sequatur consensio.*

Tribus autem potissimum nos oppugnat In nouis  
Serm.  
Diabolus per se, per alios, vt est apud eundem D. August. suggerit errores, vt seducat; ministrat illecebras, vt alliciat; intentat pœnas vt frangat. Primò ergo contra errores quos  
fug-

suggerit, muniendus est animus sapientiâ, ne decipiat. Vnde D. Petrus hortatur; *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea qua in vobis est spe.* Et Apost. Paulus, *Verbum Christi habet in vobis abundanter; causam reddit; Vt sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Absurdum enim est, inquit Chrylost. *quod medicus, coriarius, sutor, & omnes generatim opifices, quisque pro artis suæ professione pugnet: Christianus autem nullam possit religionis suæ asserere rationem. Atque illæ artes neglectæ, ad pecuniam damnum referunt, huius autem contemptus, animæ detrimentum adfert.* Habeto, ait D. Hieron. *simplicitatem columbæ, ne cui machineris dolos; & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidijs. Non multum distat in vitio, vel decipi posse, vel decipere Christianum.*

Non præcipiunt autem Apostoli, vt omnes Christiani sint Theologi, qui de sublimibus fidei nostræ mysterijs, norint aut etiam debeant differere. Id enim ab Episcopo tantum exigit Apost. *vt possit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere.* Et non omnibus dicit datum esse sermonem scientiæ; *Cui id tribuitur tantummodo, inquit August. quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; quæ scientiâ non pollent plurimi fideles, licet ipsa fide plurimum polleant. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo debeat credere, propter adipiscendam vitam æternam; aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio nomine scientiam vocare videtur Apost. Non est omnium, inq. D. Nazianz. disputare de Deo, non est omnium diuinam discutere*  
nati-

1. Pet. 3.

Coloff. 3.  
Coloff. 4.Hom. 17 in  
cap. 1. Ioan.In Epistola  
ab Paulinū.Ad Tit. 1  
1. Cor. 12.Lib. 14.  
Trinit. c. 1.Serm. de  
Arria.

*naturam; non ita vilis est sacra scriptura sermo, ut vulgo indocili, & per terram adhuc repentibus homunculis pateat. Hinc conqueritur D. Hieron. Quod Medicorū est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola scripturarum ars est, quā sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsument, lacerant, docent, antequam discant. Pulchre D. Basil. Demostheni cocō Imper. Valentis, de scripturis aliquid differere volenti, Tuum, inquit, est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Felices, ait Fabius, essent artes, si de illis soli artifices indicarent.*

Ad Paulinū

In Hist.  
Trip. lib 7.  
cap. 36.

Ex præcepto ergo Apostolorū debet Christianus quisque illam sibi comparare Sapientiam, qua de fide ac spe rationem poscenti, pro modulo suo respondere possit. Sunt enim Generalia quædam, quæ si quis in promptu habeat, utcumque se contra hostem tueri poterit. Ut, Quod religio Christiana à Prophetis sit prænuntiata. *Propheticum sermonem dicit Apost. Petrus certiore voce delapsa de celo in monte: quod videlicet in eo maximè confirmetur auditor. Sunt enim, inquit August. infideles, qui sic detrahunt Christo; ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit: possent ergo & illam vocem de celo ad illas referre: sed Propheta antea fuerunt, non dico ante istam vocem, sed ante Christi carnē.* Aliud est, Quod fides Christiana innumeris miraculis sit confirmata. Quibus quid accommodatis populis ad faciendam fidem, aut efficacius ad conciliandam autoritatem? Item, Quod non sit impossibile apud Deum, omne verbum, In rebus enim mirabiliter factis, tota ratio facti, est omnipotentia facientis,

2. Pet. 1.

Serm. 115.  
in Nou.

Epistola 3.

B

cientis,

Cont. Lucifer.

*cientis, inquit August. Rursum, Quod Ecclesia sit columna & firmamentum veritatu. Poteram, ait Hieron. omnes propositionum tuarum titulos vno Eccle-*

Cont epist. Funda. c. 5.

*sia sole ficcare. Ego, inquit August. Euangelio non credere, nisi me Ecclesia Catholica moueret autoritas:*

Lib. 4. Trinit. c. 6.

*Cui ergo obtemperauit dicenti, Crede Euangelio; cur non obtemperet dicenti, Ne crede Manichæo, Caluino? Et alibi; Contra rationem, nemo sobrius, contra Scripturas, nemo Christianus, contra Ecclesiam, nemo pacificus senserit. Item, Quod*

Euseb. lib. 9 cap. 7. Hist.

*veri Christiani pijsime viuunt. Ex qua re etiã gentiles illos veros Dei seruos ac cultores existere affirmabãt, cum eorum opem ac beneficentiam in grauissimis suis afflictionibus experirentur, vt testatur Euseb. Sic S. Pachomius adhuc Ethnicus, militãs sub Licinio Imperat. impio, motus charitate & misericordia Christianorum erga se & socios afflictos, fidem eorum amplexus est, vt refert Baron.*

Tomo. 3.

*Denique, Quod in ipsa etiam rerum natura innumera sint, quæ nequimus compræhendere. Et erit aliquis, qui reijciet fidei mysteria, quia ea non capit cæci cordis angustia? *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. Quibus, alijsque similibus instructus animus facile resistet erroribus, quos hostis contra sincerã fidem etiã pijs solet suggerere.**

Lib. 10, Conf. c. 37.

*Vt autem caput serpentis conteratur, quando, vt illiciat, ministrat illecebras, continentia muniendus est animus; quæ virtus est qua amorem cohibemus à vanis & illicitis; sicuti Iustitia, qua ad vera & licita conferimus. *Per continentiam colligimur & redigimur in vnum, inquit August.**

August. a quo in multa defluximus. Spargit autem frequenter inimicus, tanquã dulces laqueos in via vitæ, quibus pedes nostri implicentur, proponens opes, honores, voluptates, & similia, quibus homines facile capi atque illiciti solent, vitis vtique malè blandientibus, ( vt verbis eiusdem August. vtar ) *quam vtili virtutum asperitati amiciores.* Hinc scribit Lactant. quod Epicuri disciplina celebrior semper fuit, quam caterorum; non quia veri aliquid adferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuict. Nemo enim non in vitia pro-

Lib. 10.  
Confes.  
cap. 29.

Lib. 2. Ci-  
uit. cap. 29.  
De Fall.  
Sap. cap. 17.

Theodora meretrix formosissima, cum Socrate colloquens, dicebat se omnes Philosophiæ discipulos, quando vellet, ad se vocare; ipsum non ita; Rectè quidem dicis, respondit Socrates. Nam tu ad decliuem facilemque, tramitem omnes rapis, ego ad virtutem, ad quam arduus & plerisque insolitus ascensus. Volebat Lutherus haberi pro miraculo, quod tantus populus tam breui eum secutus esset; sed egregie respondit ei Thomas Morus illustris Ecclesiæ Catholicæ Martyr. Ad propositam vitæ libidinosæ licentiam populum ruere, id tantum habet miraculi, quantum, saxa deorsum cadere.

Refert Xe-  
nophon &  
Aelianus,

Pulchre quidam Christianus nostri sæculi Poëta;

Frustris in  
Epigr.

*Qua trahit arte rogas, homines hac secta, rogate,*

*Hamatus pisces qua trahit arte cibis;*

*Illecebra carnis nulla illecebrosior esca,*

*Nullus vt haresios hamus aduncus ita est;*

*Non igitur mirum est illuc concurrere multos,*

*Et cautum paucos inde referre pedem.*

Lib. 2. in  
Iou.

2. Pet. 2.

Iouiniano hæretico Epicuræo dicit Hieron. *Quod multi acquiescunt tua sententiæ, indicium voluptatis est; non enim tam te probant, quam suis fauent vitijs.* Hinc D. Petrus, *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur eorum luxurias.* Non dicit, Et eorum multi grauitate mouebuntur, rationibus conuincuntur, doctrina superabuntur; sed *Multi, inquit, sequentur eorum luxurias;* vt discipulorum greges innumeros ideo futuros significet; quod ament suos plerique languores, & solutiore mollioreque viuendi ratione delectati, quasi ratione & autoritate propugnari posse gaudeant, quod ingenti cupiditate sequuntur.

In libello  
10. rationū.

Apud Aug.  
lib. 2 in  
Iul. c. 3. & 9.

*Illecebra ergo quibus Diabolus regnum suum amplificat, inq. Campianus & ipse Martyr egregius; Tenticula, quibus ille hamatus multos inascit, sunt aurum, gloria, delicia, veneres. Contemnite. Quid enim aurum, nisi terrarum illa? Quid gloria, nisi canorus aer? Quid delicia, nisi popina vermium? Quid denique veneres, nisi bella sterquilinia: Spernite. Christus diues est, qui vos alet: Rex est qui vos ornabit: lautus est, qui satiabit: speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Verissime D. Ambrosi nostram in hac vita iustitiam in quadam militia belloq; constituit, & aduersus emulas aereas potestates & aduersus nostras cupiditates per quas illi quoque exteriores inimicinos deicere vel penetrare moliuntur. Sed nihil in nos Diabolus nisi nostris vitijs armatus potest, quibus si vigilanter fortiterque ex fide resistitur, Diabolo quoque eo ipso repugnatur. Deuicta enim concupiscentia, Diabolus quoque*

quoque superatur, qui per eam in nos valet; cuius imperus non tantopere essent nobis extimescendi, nisi insidijs eius & artibus illa nos redderet oportunos.

Te vince, inquit August. & mundus victus est. Quid tibi factururus est tentator extraneus, siue Diabolus, siue minister Diaboli? Quandocumque homo proponit lucrum ut seducat, auaritiam in te non inueniat, quid facit propositor lucris? Si autem in te inuenta fuerit auaritia, viso lucro inardescis, vitiosa esca caperis laqueo. Si autem in te non inuenta fuerit auaritia, remansit frustra extensa muscipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam faminam, adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Ut ergo non te capiat proposita pulchritudine mulieris alienae, cum tua libidine intus pugna; non sentis hostem, sed sentis concupiscentiam tuam; Diabolum non vides, sed quid te delectet vides, & victus est Diabolus quem non sentis. Frustra itaque dicitur à nonnullis: Quomodo poterimus vincere Diabolum, quem non videmus? Ibi enim vincuntur inimica nobis inuisibiles potestates, ubi vincuntur inuisibiles cupiditates; nec proualere possumus aduersarijs nostris, nisi proualeamus & nobis. Se ipsos ergo interius vincant, & de illis foris triumphant.

Tertio denique ut caput serpentis conteratur, quando comminatur vel infert poenas ut frangat; Patientia muniendus est animus. Qua virtute Christus Dominus placauit patrem, prostrauit Diabolum; vicit saeculum, omnia ad se traxit; fecit hoc, inquam, non resistendo, sed patiendo; non vi armorum, aut potentia saeculari, sed patienter durissima ac dirissima quaeque sustinendo. Eadem virtute

Serm. 1. de  
Orat. Do-  
minic.

Idē Serm.  
23. in Nou.



De Ciuit.  
Dei lib. 18.  
cap. 53.

Lib. 6. c. 15. vicerūt & Martyres, qui Christi vestigia sunt securi, quorum patientia, ait Lactant. etiam ipsis tortoribus miraculum maximum praeiuit, cum patientia crudelitas vinceretur, & pudore quodam fangabantur, quod maior inesset cruciatus, quam cruciantibus virtus, inquit Euseb. Steterunt torti tortoribus fortiores, inquit Cyprian. lib. 2. epist. 6 ad Mart. & Prudentius de S. Vincentio, Tortore tortus acrior. Ita verè à Poëta dictum est:

*Armatosque viros patientia vincit inermis.*

Quod vincendi genus intellexerunt duo illi fratres, penè adhuc balbutientes, genere nobiles; de quibus in actis S. Luciani Presbyteri Antiocheni; Qui cum Maximiano Imp. sisterentur, illeque eis persuadere conaretur ut de Idolothytis ederent, Non sic, inquit, a parentibus didicimus; deinde illos aggrediens, prius promissis, quibus illa aetas capi solet postea minus, quibus terreri, cum nec sic acquiescerent, poenas adhibuit; ex quibus cum minor natu corruisset exanimis, alter fratris exultans victoria, eumque osculatus & amplexatus, assidue exclamabat, Frater mi vicisti, Frater mi vicisti; donec & ipse exspiraret, fratrem in vlnis tenens.

Lib. 5. c. 17. Scribit Lactant quod varia idcirco genera tormentorum excogitabant gentiles, nec statim occidebant, ne aut ipsi victi, aut Christiani virtutis sua gloriam consecuti viderentur. Et refert de quodam, Praefide, gaudio mirabiliter elato, tanquam si Barbaram aliquam gentem subegisset, quod vnus qui per biennium fortiter resisterat, cedere visus est. Hoc enim querebantur Tyranni, hoc eos pessime habebat, quòd qui regna ac prouincias debellarent, exteris & efferas nationes suo Imperio subij-



subijcerent, Christianos, etiam infirmæ & teneræ ætatis ac sexus, in suam potestatem redigere non possent.

Docet D. Thomas, principalem actum fortitudinis esse, sustinere, & ad eum pertinere Martyrium, non ad secundarium, qui est aggredi. Nonnulli tamen etiam Martyres vocantur, qui fortiter in acie vel mœnibus decertantes, occubuerunt. Est enim quidam Martyrij gradus. Proprietas tamen Martyrij penes eos est, qui, ut ait Chrysostr. *cum iuberentur confiteri, omnia usque ad mortem sustinuerunt, ut dicerent veritatem. Sic enim amanda est veritas atque iustitia*, inquit August. *ut ab eius operibus etiam pœna corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum, luceant opera nostra coram hominibus, ut quibus placere possint, glorificent patrem qui in caelis est. Unde ille fortissimus iustitiæ dilector exclamavit. Quis nos separabit a Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die. Sicut ergo ille est nequissimus, quem nec pœna corporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis; ita ille iustissimus, qui nec pœnarum corporalium terrore reuocatur a sanctis operibus luminosissima charitatis.*

In 2. 2. q.  
124. art. 2.  
ad 3.

Hom. 74.  
in Acta.

Epist. 144.

Matth. 5.

Rom. 8.

Ibidem  
August.

Hac inflammatos aliquando plurimos Dei cultores a Christo Deo non solum colendo, verum etiam confitendo, metus vllus aut terror reuocare non potuit, blanditiæ nullæ, promissio nulla dimouit; sed nec facultatum violenta subtractio, nec acerbitas vniuersarum variarumque pœnarum, & ipsius mor-

tis, quæ plus cæteris formidatur. Nequetumque Civitas Christi, quamvis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, aduersus impios persecutores suos, pro temporali salute pugnavit, sed potius ut obtineret æternam, non repugnavit: ligabantur, includebantur, cadebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, cruciabantur, & interea tamen multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro saluatore contemnere.

Hoc ergo bellum est spirituale, quod Christianis continuo mouet Diabolus: hæc illius arma, quibus eos oppugnare non cessat; hæc vicissim Christianorum præsidia, quibus se in bello aduersus hostem debent defendere; hæc armatura Dei, quam induere iubet Apost. ut possint resistere in die malo. Poterunt autem facile, ad exemplum Sanctissimæ Virginis, eum vincere, eiusque caput contere, si viribus suis diffisi, spem victoriæ in auxilio Christi Domini Filij eius repositam habeant. Non enim Christus, inquit D. Cyprian. tanquam spectator solum cogitandus est, sed & tanquam adiutor implorandus, qui in suis & luctatur & vincit, & coronat pariter, & coronatur.

Ephes. 6.

Lib. 2.  
epist. 6.

MONI-

## MONITVM III.

*Ecce Virgo concipiet & pariet filium,  
& vocabitur nomen eius  
Emmanuel.*

Isaia 7.

PRænuntiat cum gaudio Propheta aduentum Sanctissimæ Virginis Mariæ, nec non incarnationem filij Dei, operatione Spiritus Sancti in eius utero peractam, qua similis nobis factus est in natura, mortalitate, miseria. Cuius quidem incarnationis propriam explicare causam propositum mihi est, ut in eius contemplatione animus suavi ac salubri affectu versetur, ac frequenter hæreat, ad exemplum S. Augustini, quide se in Confess. Lib. 9. Cōf. Non satiabar, inquit, dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui, super salutem generis humani. cap. 6. Deinde ut ex eius consideratione spes boni maximi, quod nobis promittitur, erigatur & confirmetur, de quo idem Augustinus in Sentent. Prosperi; Deus factus est homo, quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo? Sent. 329. Denique ut deuotio & charitas nostra erga Matrem & filium vehementius accendatur, qui ex ea carnem propter nos assumere dignatus est, ut Emmanuel, id est, nobiscum Deus, appellaretur: dicamusque ex animo cum Iponia in Cantic.

Serm. 68.  
in Cana.

*Dilectus meus mihi, videlicet se totum impendit, & ego illi, id est, eius amori ac cultui me totum volo impendere: ille mea liberationi, inquit D. Bern. ego illius honori; ille mea saluti, ego illius voluntati.*

Serm. 3. de  
Pentec.

Causa autem incarnationis alia non est, quam naturæ hominū lapsæ reparatio. Cum enim hominum genus captivum sub Diaboli tyrannide propter peccatu teneretur, neque liberari propter Dei iustitiam posset, nisi pretio iusto redimeretur: pretium autem hoc nequiret ab homine perdito reperiri; Deus ipse homo fieri dignatus est, ut in natura assumpta (quoniam in ea erat passibilis ac mortalis) pretium redemptionis nostræ sua morte persolveret, istoque modo captivitas antiqua solveretur. Hinc D. Leo; *Quia invidia Diaboli mors introiit in orbem terrarum, & aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine Maiestatis sua damno & verus homo fieret, & peccati contagium solus non haberet.* Multæque sunt eius modi sententiæ veterum, quæ si cum scripturarum vocibus comparentur, facile apparebit eius opinionis infirmitas, qua fingitur Dei filius carnem suscepturus fuisse, etiam si homo non peccasset.

Symb. Con-  
stant.

Nos verò propriam eius rei causam agnoscimus eam, quam celeberrimis verbis expressit Syrabolum solenniter in Ecclesia decantari solitum; *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de calis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Dicimus enim Christianam Religionem non nisi vnam  
incar-

incarnationem nosse, quæ facta est; eius autem causam in Diuinis scripturis quærendam esse, non humanis rationibus indagandam; cum ea res ad altissima sapientiæ diuinæ consilia pertineat, ideoque eius ratio cognosci non potest, nisi quātum ille nobis patefacere dignatus est. Expressit autem hoc factū esse, vt hominum genus erueretur de potestate tenebrarum, vt vitiata peccato natura instauraretur, & sanaretur, vt mortuus peccatis homo viuificaretur, perditus recuperaretur, atque ad amissam felicitatem reuocaretur.

Veni filius hominis, ait ipsamet incarnata veritas, *Matth. 18.*  
*Matth. 9.*  
 quære & saluum facere quod perierat. Et alibi, Non

veni vocare iustos, sed peccatores; non enim est sanis opus medicus, sed male habentibus. Et eius Apost.

D. Paulus; Fidelis sermo & omni acceptione dignus, *1 Tim. 1.*  
 quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores

saluos facere. Et rursus; Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participaust eisdem vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum. *Ad Heb. 2.*

Scripturis sacris veterum sententia valdè consentit, & ratio. Propterea, inquit Chrysof.

*Hom. 5. in epist. ad Hebr.*  
 carnem assumpsit nostram, propter benignitatem & clementiam solam, vt misereretur nostri; non est enim alia quapiam causa dispensationis, quam hæc sola. Vi-

dit quippe humi iacere proiectos, pereuntes, mortisque tyrannidem patientes, & misertus est.

Quæ erat causa incarnationis, rogat D. Ambrosius. nisi vt caro quæ peccauerat, per se redimeretur? *De Domini- nica incarn. Serto. c. 6.*  
 Interitum enim hominum dolens diuina censura, non per seruum vatem, nec per inuisibilem Angelum, sed ad

hoc

De Pasche  
mysterio  
cap. 1 & 4.  
Serm. 9 &  
10. de Ver-  
bis Apoll.

Lib. 1. c. 26.

Serm. 3. de  
Pentec.

Philip. 2.

Serm. 5.  
de Nat.

*hoc per substantiam humana carnis in homine Deus  
veniens habitavit. Et S. August. Nulla causa fuit  
veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere;  
tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicina.  
Si venit de celo magnus Medicus, magnus per totum  
orbem terrarum iacebat infirmus. Et rursum, de pec-  
cat. mer. Non aliam ob causam in carne venit, ac for-  
ma serui accepta factus est obediens vsque ad mortem  
crucis, nisi vt hac dispensatione misericordissima gra-  
tia omnes quibus tanquam membrum in suo corpore con-  
stitutus caput est, ad capeendum regnum celorum viui-  
ficaret, saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret;  
qui prius fuissent in peccatorum morte, languoribus,  
seruitute, captiuitate, tenebris constituti, sub potestate  
Diaboli principis tenebrarum. Et D. Leo: Si homo  
ad imaginem & similitudinem Dei factus, in sua na-  
tura honore mansisset, nec Diabolica fraude deceptus, à  
lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator  
mundi creatura non fieret.*

His omnibus adiungenda est etiam ratio,  
incarnatio enim et si miseria & afflictione  
careat, habet tamen quandam humiliationem  
& deiectionem Dei, cum natura humana ex  
ipsa sui conditione serua sit; vt taceam quan-  
to interuallo sub naturæ diuinæ sublimitate  
iaceat, quantumcumque bonis dotibus or-  
nata cogitetur. Vnde dicitur ab Apostolo  
Christus cum in forma Deieffet, exinanisse semetipsum  
formam serui accipiens. Quem locum Apolloli  
tractans D. Leo: Propter nostram infirmitatem,  
inquit, extenuauit se incapacibus sui, vnde etiam ex-  
inanisse se dicitur, tanquam se propria virtute euacua-  
uerit, dum in ea humilitate, qua nobis consuluit, non  
solum,

solum Patre, sed etiam seipso factus est minor. Et D.

August. Quod filius Dei factus est filius hominis, non Tract. 2. in  
Ioan.  
fuit eius gloria, sed humiliatio. Nuiquam verò in-

finuata est nobis alia ratio præter eam quam recitauimus, vnde nec sine periculo humanæ temeritatis alia fingi tantæ rei causa posse videtur. Et est quidem in Scripturis significatum, incarnationis Dominicæ finem fuisse, naturæ humanæ in Christo exaltationem & gloriam; sed ad quam humilitatis & passionis via veniretur; quemadmodum indicat ille Euangelistæ Lucæ locus; Oportebat Christum pa- Luc. 24.  
ci, & ita intrare in gloriam suam. Passionis autem viam non conueniebat ingredi filium Dei, vt sic naturam in se humanam extolleret, nisi peccatum præcessisset.

Potuit quidem Deus alio modo liberare genus humanum, quam morte Christi; qua enim potentia hominem creauit iustum & liberum, eadem vel solo mox nutu lapsum ac deformatum in integrum restituere potuisset, Diabolo hoste eius longè depulso, quia summam potentiæ eius in suas creaturas libertatem non potuit vel infelicissimus hominis casus, vel vlla creaturæ prauitas imminuere. Verûtamen hoc fixo eius decreto, quo iustitiæ volebat esse satisfactum, alterum erat necesse, vt vel peccator homo damnaretur, vel æquiualens pretium, pro ænaque par offerretur pro eo liberando, vt (quemadmodum ait D. Ambros.) quia non queunt diuina decreta solui, persona magis quam sententia mutaretur. Non potuit autem esse exacta satisfactio, nisi quæ ab  
eo qui

Lib. 4. in  
Luc. c. 14.

co qui simul esset homo & Deus offerretur. Nam si Deus tantum esset, pati non posset, cum iustitia Dei peccatum manere nollet impunitum; si tantum homo, non esset pallionis eaprestantia & dignitas, quæ sufficeret. Dicit D. Hilarius; *Oportet Christum confiteri filium Dei & filium hominis, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.* Nisi enim, inquit S. Leo, *esset verus homo, non praberet exemplum, nisi esset verus Deus, non adferret remedium, inerat ei vera Deitas ad miracula operum; vera humanitas ad tolerantiam passionum.* Et aptissime idē declarat locus Apoc. cap. 5. vbi liber ille captiuitatis humanæ, scriptus intus & foris, ob occulta & manifestā hominum peccata; quibus mortis rei tenebantur, cuius cum nemo posset firmissima signacula ob incommutabile diuinæ iustitiæ decretum, resolvere, occisus agnus resoluit.

Et sane modus hic redemptionis fuit convenientissimus; 1. quia non solum ostendit potentiam Dei magnam, qua fortem armatum expulit, suaque de possessione deturbauit, sed etiam sapientiam, qua exturbandi eius spoliandi que clarissimam reddit æquitatem, quod in hominem innocentem, longēque cæteris dissimilem Christum Dominum violentas ille manus iniecerit. Præclarus est autem ratione vincere, quam viribus solis, quod sæpè meliores a nequioribus opprimi robore maiore contingat. 2. quia hoc modo non misericordiam tantum suam, sed vna etiam iustitiam mirabiliter commendauit; iustitiam in eo quod peccatum non reliquit impu-

In Matth.  
cap. 16.

Serm. 1. de  
Nar.

Apoc. 5.



impunitum: misericordiam in eo, quod iudex ipse peccati pœnam a reo in seipsum transtulit; sicque pulcherrimo congressu misericordiâ & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Pœnam enim inflixit per iustitiam, sed personam mutauit per misericordiam. Iustitia dixit, Ego supplicium pro peccato requiro; misericordia dixit, Ego pœnam non abnuo, sed muto personam. 3. denique ad inflammandam charitatem & erigendam spem nostram, & ad iacienda veræ humilitatis fundamenta, omnique nos virtutum exemplo confirmandos, nulla fuit efficacior ratio, quam si Dei filius pro suis inimicis homo fieret, & in mortem traderetur.

*Sed superbo, vt ait D. August. Domini humilitas indigna videtur; Absit, inquit, vt credam in Deum natum in carne, natum ex fœmina, crucifixum, flagellatum, mortuum, sepultum. Indignum talia de Deo credere.* Sic Nestorius Deum negans esse hominem, Numquam, inquit, bimestrem aut trimestrem appellabo Deum. Deum ex fœmina nasci est impossibile. Ne glories Iudæ, non crucifixisti Deum. Manichæus verò, vt author est D. August. existimabat Christum inquinandum, si ex fœmina nasceretur, vnde negabat eum veram carnem habuisse. Idem, vt refert Epipha. cum Marcyone, & Valentino, dicebat Deum non habuisse carnem, ne excrementorum secessui, alijsque similibus videretur obnoxius. Quemadmodum nunc Calvinus negat corporaliter Christum adesse in Eucharistia, quod inde cælesti eius gloriæ aliquid

Psal. 82.

Serm. 107.  
in Nou.In act. Cœc.  
Chalc.De ago.  
Christiano  
cap. 18.

Hæres. 77.

aliquid periret, dum sub corruptibilia huius mundi elementa reducitur.

Aug. cod.  
Serm.

Alij autem etsi credant corde, erubescunt confiteri ore humilem Christum, ne displiceant superbis. Aegrote, inquit August. quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? Quid facies, si attendat te ille excelsus, & dicat tibi, Erubuiſti de humilitate mea, non eris in claritate mea? Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est. Insultetur nobis quod credimus in hominem miserum, abiectum, crucifixum, occisum: planè in occisum, sed de quo nisi sanguis maneret, Chyrographum peccatorum nostrorum adhuc maneret.

De Ciuit.  
lib. 10. c. 29

Platonicius quidam, ait idem August. Initium Euangelij secundum Ioannem, In principio erat Verbum, & c. aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Sed ideo viluit superbus Deus, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; ut parum sit miseris quod egrotent, nisi se in ipsa etiam agritudine extollant, & de medicina qua sanari poterant erubescant.

Lib. 2 de  
Trinit.

Patrum ergo sententias hac de re audiamus; inter quos D. Hilarius, agens de cunis vagitu, cruce, morte Christi: Hac, inquit, si quis indigna Deo recolet, tantò se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quando minus ista conuenerint illius Maiestati. Sic & D. Hieron. Ingeransur, ait, dura praesepia, vagitus paruuli, & crux ipsa, qua nil contumeliosius, non erubescimus, non silemus. Quanto sunt humiliora, qua pro me passus est, tanto plus ei debeo. D. etiam Gregor. Stultum, inquit, homini-  
bis

Cont. Hel-  
uid.

Hom. 6. in  
Euang.

bus visum est, vt pro hominibus auctor vita moreretur,  
 & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei  
amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab ho-  
 minibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus  
 & indigna suscepit.

Lib. 7.  
 Conf. c. 18.

Denique ex D. August. discat superbus,  
 cuius rei inagistra sit tanta humilitas Saluato-  
 ris. Verbum tuum, aeterna veritas, superioribus crea-  
 tura partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam:  
 in inferioribus autem adificauit sibi humilem domum  
 de limo nostro; per quam subdendos deprimeret a sei-  
 psis, & ad se traiceret, spinans tumorem, & nutriens  
 amorem; ne fiducia sui progredierentur longius, sea po-  
 tius infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam  
 Diuinitatem, ex participatione tunica pellicea nostra,  
 & lasi prosternerentur in eam, illa autem surgens leua-  
 ret eos. Et alibi: Quia rationalis creatura, verbo isto  
 tanquam optimo cibo suo pascitur, humana autem anima  
 rationalis est; qua mortalibus vinculis peccati pena re-  
 nebatur, ad hoc diminutionis redacta vt per coniecturas  
 rerum visibilibus, ad intelligenda inuisibilia niteretur;  
 tibus rationalis natura factus est visibilis, non commu-  
 tatione natura sua, sed habitu mortalitatis nostra, vt  
visibilia sectantes ad se inuisibilem reuocaret. Sic eum  
 anima, quem superbiens intus reliquerat, foris humi-  
 lem inuenit, imitatura eius humilitatem visibilem, &  
 ad altitudinem inuisibilem reuersura.

Lib. 3. de  
 lib. arbit.  
 cap. 10.

C

MONI-

## MONITVM IV.

*Egredietur virga de radice Iesse, & flos  
de radice eius ascendet, & requies-  
cet super eum spiritus Domini.*

Isaiæ II.

**D**Eiparam Virginem Mariam deuotissimè per totam Ecclesiam Catholicam celebramus, non contenti illo die, quo confecta huius vitæ peregrinatione, migravit ad cœlos, eam colere; sed & eius initia, Conceptionem dico & Natiuitatem, libentissimè honoramus; Primò quidè ob incarnationis Christi amorem, quæ in eius vtero opera Spiritus Sancti peracta est. Pietas enim fidei vndique colligit occasiones gratias agendi Diuinæ Maiestati de aduentu & tota dispensatione Dei & hominis; quo nullum maius ac præstantius beneficium generi humano lapsò & damnato collatum est, aut conferri potuit.

Deinde quod sciamus eam *Eua* filiorumque eius factam *Aduocatam*, quæ per fidem soluit, quod *Eua* per infidelitatem alligauerat, vt D. Irenæus testatur; nec vllum nobis vtiliorem esse Mediatorem ad Mediatorem, quam eius Matrè, vt afferit, D. Bernard. *Opus est*, inquit, *Mediatore ad Mediatorem Christum; nec alter nobis vtilior, quàm Maria. Si enim cum merita nostra nos gra-*  
*uant*

Lib. 5. cõt.  
Hætel.

Serm. vlt. de  
Assumpt.

*utant ne diligamur a Deo, releuari apud eum illorum meritis ac precibus possumus, quos diligit Deus* (quod verissime dixit August.) quanto magis meritis ac precibus huius Virginis Deo tam dilectæ? quam præ omnibus alijs ad eam dignitatem euexit, vt Vnigeniti sui & mater esset, & simul integra Virgo permaneret; quam super omnes Angelorum choros exaltauit.

Sup. Exod.  
q. 149.

Denique quod in Scripturis sacris iubeamur Dominum Deum in Sanctis eius laudare, ac mirabilem prædicare; quanto igitur magis in Deipara Virgine? in qua non tantum sanctitas, sed & sanctitatis elucet origo plusquam in alijs Sanctis, ipse videlicet Christus Dominus pro nobis homo factus? qui de eius utero, tanquam castissimo cubili, processit ad operandam salutem in medio terre?

Psal. 67.  
Psal. 130.

Postremò, si sola mulierum in veteri Testamento generi humano est promissa, sola varijs figuris & vmbribus præsignata, sola a sanctis Patribus & Prophetis decantata; vnde rectè a D. Hieronymo *Vaticinium Prophetarum* nuncupatur: quanto magis Christiani noui Testamenti nunc orbi exhibitam celebrare ac collaudare debent! Quomodo verò id illi Sancti Patres præstiterint, operæ pretium est considerare, vt nos eorum imitatione filij, in Deiparæ Virginis amorem & honorem vehementius accendatur.

In cap. 6.  
Michæ.

Ac in primis occurrit Euangelicus ille Propheta Isaias, qui ita de Matris, filijque aduentu atque exortu summa animi exultatione prænuntiauit; *Egredietur virga de radice Iesse, &*

Isaie 11.

- Lib. 4. in  
 Isaiam. *flos de radice eius ascendet, & requiesces super eum spiritus Domini.* Vbi Iudæi, teste D. Hieronymo virgam de radice Iesse simulque florem, ipsum Dominum interpretantur, quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. Nos autem, inquit Hieron. *virgam de radice Iesse, Sanctam Mariam intelligamus; de qua apud eundem legimus, Ecce Virgo concipiet & pariet filium. Et Florem, Dominum saluatorem, qui dicit in Canticis: Ego flos campi, & lilium conuallium.*
- Isaïæ. 7. *Ac Virginem quidem virgam nominauit, quod nullum habuerit sibi fruticem coherentem; seu, quod simplex fuerit, pura, sincera, nullo extrinsecus germine coherente, & ad similitudinem Dei vniione, seu vnitatem secunda, vt idem affirmat.* Sicut enim solus Deus Pater filium ab æterno genuit sine socia matre, ita sola Virgo mater eundem in tempore genuit sine socio patre. Hinc & ipsa Virgo per virgam Aaron significata fuit, quæ extra terram sine humore adiecto subito flores & fructum potulit, vt ex ea cognosceretur quisnam functurus esset sacerdotio; sic & Maria ab omni viri contactu aliena, sine femine viri, florem & fructum produxit Dominum Christum, qui solus est Sacerdos immaculatus: quo sacerdotio functus est, dum in diebus carnis sue, preces supplicationesq; cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia;
- Lib. 4. in  
 Esai. 1. & in  
 Epist. ad  
 Eustoch. *dum in omnibus gratias egit Deo Patri; dum seipsum tradidit in ara Crucis pro peccatis nostris hostiam & oblationem in odorem suauitatis; dum apparet nunc vultui Dei semper viuens ad interpellandum pro nobis; dum denique per vicarios sacerdot-*
- Num. 17. *tes*
- Hebr. 7.
- Hebr. 5.
- Ephes. 5.  
 Heb. 7.
- Heb. 9.

tes in Catholica Ecclesia carnē suam & sanguinem quotidie offerre non desinit. Judic. 6.

Significata etiam fuit per vellus Gedeonis, & terram irroratam, de qua David; *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Christus enim descendit in uterum Virginis, quæ ex terreno Adam nata, & ex humano genere per peccatum brutis comparato, orta erat; descendit, inquam, in uterum Virginis, non ex viro, sed ex cælo, sicut ros & pluvia descendunt in vellus & terram. Vnde & in alio Psalmo dicit; *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Quid est veritas? quærit D. August. Eilius Dei. Quid terra? Caro, interrogas unde natus est Christus, & vides quia veritas de terra orta est. Sed hac veritas qua de terra orta est, erat ante terram, & per ipsam factum est cælum & terra. Vnde dicitur, quod eadem ipsa veritas iustitia de cælo prospexit.* Vnde illæ voces, Rorate cæli de super, &c. Non quod corpus secum è cælo tulerit, sed id sumpsit ex Virgine, Diuino tamen non humano opere.

Christus etiam in Psalmo. *Vermi se comparat, dicens, Ego autem sum Vermis & non homo: non solum propter humilitatem passionis, sed quia vermis in ligno & carne sine concubitu nascitur, sicut Christus de Maria Virgine.* Ita D. Aug. *Ego sum vermis & non homo, quod videtur quidem, inquit, ad commendandam humilitatem simpliciter dictum, ut se in oculis persequentium, abiectissimum quiddam & contemptissimum demonstraret: sed non est contemnenda, addit, altitudo secreti, profunditasque mysterij, praesertim in eis verbis, qua*

tanta Saluatori in prädicatione Prophetia cooprantur. Dicitur est hic sensu elegantissimus a prioribus, ideo se hoc nomine Christum prænuntiari voluisse, quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut ille natus est de Virgine.

Cant. 2.  
Serm. 47.  
in Cant.

Quod ipsum quoque significat, quando se florem non horti sed campi appellat, ut D. Bernard. rectè notauit. Hortus enim ut floreat, inquit, hominum manu & arte excolitur; campus vero ex seipso naturaliter producit flores, & absque omni humana industrie adiutorio. Maria procul dubio hic campus est, non sulcatus vomere, non defossus sarculo, nec simo impinguatus, nec hominis manu seminatus; venustatus tamen nobilius illo flore, super quem constat re-  
 quiescisse Spiritum Domini. De cuius odore ita in Genesi quando Patriarcha Isaac benedixit filio suo Iacob; Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Necdum speciem suam flos ille agri induerat, & iam dabat odorem suum, quando eum, ut præ gaudio exclamaret, præsensit spiritu, corpore marces, sanctus & senex Patriarcha, caligans visu, sed odoratu sagax.

Genes. 27.

Psal. 44.

August. in  
eund. Psal.

De cuius etiam pulchritudine Psalmista ait; Speciosus forma præ filijs hominum. Si aliquid fædi inuenerimus in eo, non amemus eum, inquit D. Aug. quia & quod carnem indutus est, quod miseris obnoxius, quod flagellis cæsus, quod affixus cruci, ut de illo etiam diceretur, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem; si consideres misericordiam qua factus est talis, etiam ibi pulcher est. Solumne pulchrum cum exitimas in forma Dei, in throno regio, auro & coronis micantè? Etiam pulcher est in forma serui, in infirmitate carnis, in igno-

Isai. 53.

minia



minia crucis. *Pulcher in utero*, inquit August. In eund. Psalm.  
*pulcher in praesepio*, *pulcher in manibus parentum*,  
*pulcher in miseris*, *pulcher in flagellis*, *pulcher in ligno*,  
*pulcher in sepulchro*. Sed Iudaeorum personam  
gerebat Propheta, cum diceret, *Vidimus eum, &*  
*non habebas speciem, neque decorem*, qui eum oculo  
infidelitatis aspiciebant; intelligentibus  
autem & credentibus ipsa etiam infirmitas  
& Crux Christi, magna pulchritudo est. De bono viduit. c. 19.  
*Aut si forte & tu*, ait August. *deformitatem iudicas*, *co-*  
*gita tamen quod ex ista deformitate Redemptoris tui*  
*manavit pretium decoris tui, sed decorus interioris;*  
*omnis enim pulchritudo filiae regis intrinsecus est;* ac  
proinde non ab eo alienari, sed in eius cul-  
tum amoremque magis accendi debes. Serm. 8, de Pass.  
*Crux enim Christi* (ob quam ab impijs contemnitur  
ac ridetur) *fons est omnium benedictionum*, inquit  
D. Leo, *causa omnium gratiarum, per quam creden-*  
*tibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio,*  
*vita de morte.*

Pulchritudinem huius floris etiam explicat  
Isaias, cum addit; *Et requiesces super eum spiritus* Isai. 11.  
*Domini*. De quo spiritu loquens Ioannes Ba-  
ptista, ait, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum;* Ioan. 3.  
quod de solo filio dictum esse ab eius praecur-  
sore asserunt Patres. Solus enim fuit, & qui-  
dem ab initio conceptionis, omni virtute, iu-  
stitia, charitate ornatissimus ac perfectissimus;  
& teste Apostolo Paulo, *Fuerunt in eo absconditi* Coloss. 2.  
*omnes thesauri Sapientiae & scientiae Dei*. Vnde in  
Euangelio, quo Nazaraei utuntur, inquit D. Lib. 4. in Isaiam.  
Hieronymus, legitur; *Descendet super eum omnis* De Spiritu sancto lib.  
*fons Spiritus sancti*. D. Ambrosius tractans illud 1. cap. 7.

Ioël. 2.

Ioëlis Prophetæ; De spiritu meo effundam super omnem carnem. Non spiritum, ait, sed de spiritu. Neque enim capere nos possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus quantum de suo, arbiter nostri, pro sua voluntate diuiserit; in Christo autem totius manet in æternum spiritus plenitudo. alludens utique ad sermonem Baptistæ, cum de filio loquitur, Non ad mensuram dat Deus spiritum.

Tract. 14.  
in Ioan.  
Ephes. 4.

Sic & D. August. Inuenimus quia ad mensuram dat Deus spiritum. Audi Apostolum dicentem; Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Hominibus ad mensuram dat, (alioqui, inquit alibi, non duplum peteret Eliseus, quam fuit in Helia) vnico filio non dat ad mensuram. Et rursus;

Lib. 1. Re-  
tract. ca. 19.  
4. Reg. 2.

Sic sunt diuersa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propria distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accipit. Denique D. Fulgentius;

Quæstio 3.

Coloss. 1.

Tota, inquit, plenitudo datur, vbi spiritus non ad mensuram datur. Vnde & Apostolus de Christo;

Coloss. 2.  
Ioan. 1.

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; Et, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Non autem plenitudinem, sed de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.

De peccat.  
mer. lib. 2.  
cap. 17.

Requieuit ergo, super Christum Spiritus Domini non ad mensuram. Cæteris autem ad mensuram datur, & Temporis, & Quantitatis, Temporis quidem; nam quisq; nostrum, inquit D. August. bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur; quod ideo fit, vt nouerit homo non sua facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur; ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat  
quam

quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Quantitatis verò, præterquàm enim quod nulla virtus & scientia quæ hic a Deo hominibus donatur, in sua perfectione habeatur, ait Apostolus, Diuisiones gratiarum sunt. *1. Cor. 12.*  
*Alij datur sermo Sapientia, alij sermo scientia; alteri fides, alij gratia sanitarum, alij genera linguarum; alij discretio spirituum, &c. & in fine; Hac autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.*

D. Prosper, tractans illud Euangelij, vbi Dominus diuersis diuersa talenta distribuit; *Cùm nemo, inquit, aliquid boni habeat, quod non Deus donauerit, non omnes tamen ijsdem virtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Quidam accepta fide, dissidentia non carent: quidam quod credunt, non intelligunt; alij intelligunt, sed intelligentia non eandem in omnibus habet facultatem; & multi habent fidem & intellectum, indigent tamen charitate; ipsa etiam charitas non in omnibus aequè magna, aequè perfecta. Sic etiam vnus valet lenitate, alius patientia, alius iucunditate, alius vigilantia; alius abstinentia, alius actione, alius contemplatione. Vnicuique datur gratia secundum mensuram donationis Christi.* *Vide de Vocat. gent. hb. 2. cap. 7. 8. 11.*

Dicebat Iulianus Pelagianus, vt est apud V. Bedam, omnia in omnibus posse esse bona virtutum. quæ vel singula sunt in singulis. Sed contradicit scriptura, ait Beda, quæ dicit Omnia autem membra non eundem actum habent. Et, Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes. *Ephes. 4.*

Sed & quotidiana nostræ fragilitatis

litatis exempla probant, non omnia in omnibus esse posse, ubi tam multi inueniuntur, qui summa nitentes instantia, nequaquam ad eas, quas alios vident habere, possunt peruenire virtutes.

Hom. 10. in  
Ezech.

Huius autem variatæ inter homines gratiæ D. Gregor. duplicem fructum seu vtilitatem ostendit. Ac primus quidem fructus est charitas: Hoc enim agit Deus in cordibus hominum, inquit, quod facit in regionibus terrarum: poterat namque vnicuique regioni fructus omnes tribuere, sed si vna qualibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abundantiam tribuat, hanc multitudinem pecudum, illam verò vbertate fructuum faciat abundare; vt cum illa desert, quod ista non habet; & ista reddit, quod illa non detulit, per communionem gratia sibi simul etiam diuersa terra coniuncta sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes sanctorum, quæ dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, vt in vna omnes charitate iungantur.

Ibidem.

Alter verò fructus, humilitas est. Non enim vni, ait idem Gregor. dantur omnia, ne in superbiam elatus, cadat; sed huic datur, quod tibi non datur; & tibi datur, quod illi denegatur; vt dum iste considerat bonum quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione praponat: & rursum dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in cogitatione postponas, & fiat quod scriptum est, Superiores sibi inuicem arbitantes.

Philip. 2.

Videtur virgam quæ de radice Iesse prodijt, Virginem Mariam: videtur florem, quem virga ipsa mundo protulit, Christum Saluatorem,

torem, super quem plenissimè Spiritus Domini requieuit, de cuius plenitudine omnes nos oportet accipere. Maxima ergo nobis est gaudendi occasio, quando Virgo illa promittitur, quam Dominus Deus ad humani generis redemptionem assumere dignatur. Non exultent illi ad aduentum Virginis, qui nesciunt quantum mali nobis per fæminam acciderit. *Qui verò sciunt a muliere initium esse peccati, & per illam omnes mori, agnoscant magnum in D. Virgine sacramentum*, inquit D. August. *Sicut enim per fæminam mors nobis accidit, ita per fæminam vita nata est; ut de utroque sexu Diabolus victus crucietur, qui de utriusque subuersione latatus est. Cui parum esset ad pœnam, si uterque sexus liberaretur in nobis, nisi per utrumque sexum etiam liberaremur.* Quo beneficio hoc nobis præstatur, ut hic a seruitute peccati & Diaboli liberati, Domino Deo deinceps, iustitiæque seruiamus, & tandem abiecta etiam seruitute corruptionis & mortis, ad immortalem felicemque vitam transferamur.

De agona  
Christi.  
cap. 22.

## MONITVM V.

*Nouum creauit Dominus super terram,  
Fæmina circumdabit virum.*

Jerem. 31.

**P**Rædicat ac promittit Propheta Israelitis, qui duro captiuitatis iugo premebantur, libera-

liberationem, reditum in patriam, ac rerum omnium felicitatem. Et ut intelligerent unde tanta beatitudo expectanda foret, Attendite, inquit, diligenter, & audite quod antea nunquam cognoueratis; Nouum creauit Dominus super terram; *Famina circumdabit virum.* Ista captiuitas temporalis, sicut & antea Ægyptiaca illa seruitus, spiritalem nobis adumbrabat captiuitatem, & seruitutem, quam primi culpa, superbiaque parentis, vniuersum genus humanum incurrit. Hanc Triplicem distinguunt Doctores, propter peccati, mortis, & Diaboli dominatum, quibus vero & naturali Domino derelicto, tanquam alienis Dominis contra naturam mancipari cœpit.

Et prima quidem seruitus est vitij parere, & eo quò impulerit cupiditas, voluntate ferri. Quæ sanè habet inprimis nobilissimæ mentis indignissimam seruitutem. Quid enim indignius, quid turpius, magisque contra naturam, quam id voluptatum illecebris captum, mancipium fieri vitiorum, quod cum in homine principatum obtineret, dominari potius ac regere decuerat? Vnde recte D. Basil. Cur, inquit, prauorum affectuum animam facio seruam, cum ipsi a suo creatore Deo concreditus sit principatus, quo regere ac moderari debeat corpus, affectionesque corporis omnes? Monet Apost. ut ne secundum carnem viuamus. *Quod nihil aliud est,* inquit Chrysof. *quam ne Dominam illam vita nostra faciamus: non enim decet ut illa imperet, sed ut obediendo sequatur, neque ut nostram dirigat vitam, sed ut*  
*Spiritus.*

Lenf. de  
lib. Christ.

In Psalm. 6.

Rom. 8.

Serm. 14. in  
epist. ad  
Rom.

bitus leges, quibus ipsa regatur, accipiat.

Hanc seruitutis indignitatē Propheta non acuit in oratione, in qua mysticis verbis (auctore Hieron.) spiritualis animæ ruina variatioque describitur; *Serui, inquit, dominati sunt nostri. ac ut huius mali grauitatem augeat, addit, Nec fuit qui redimeret de manu eorum. Quam nim huius vincula seruitutis implicatam teneant voluntatem, Sapiens expressit, cum à muliere nos reuocans aliena, dicit; Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semita eius. Omnes qui ingrediuntur ad illam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ. Quod secundum sum peccati pondus dictum esse, D. August. interpretatur; ut qui reuertuntur, non seputent is vinculis expediri potuisse, nisi Dei singularis misericordia subuenisset, cui dicitur in Psal. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam audis, & nomen Domini inuocabo.*

Similiter cum Diabolo contra Domini præceptum suggerenti cesserit homo ad peccatum perpetrandum, cum ei facile esset repugnare, idcirco & illam quoque suo merito incurrit seruitutem, ut ab eo qui vicerat, cautius teneretur ac possideretur. hinc rectè dixit August. *Et illud appensum fuisse aequitatis examine, ut nec ipsius Diaboli potestati negaretur homo, quem sibi malè suadendo subiecerat. Iniquum enim erat, inquit, ut ei quem ceperat, non dominaretur. nimirum, quia meritis eius malis, quibus Deo sese subtraxerat, congrua sub iusto iudice minimè redderetur pœna, nisi Diabolo, cui consenserat, traderetur. Quæ traditio in Genesi*

Thren. 5.

In illum locum.

Pro. 2.

In Psal. 77.

Lib. 3. de  
lib. arb.  
cap. 10.

Gen. 4. Genesi significata esse videtur; vbi cum serpenti dictum est, *Terram manducabū omnibus diebus vitæ tuæ*; homini dictum est, *Terra es, & in terram ibis*. Nam quod dicitur, *Terra es*, totum hominem ostendit in deterius esse commutatum; quemadmodum & illud alibi scriptū, *Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quia caro sunt*. Hoc enim illud est, ex quo dediti vitijs homines, ac spretis bonis caelestibus terrena sapientes, carnales appellari consueverunt.

Genes. 6.

De orat.  
Dominic.  
Matth. 5.

De promiss.  
& prædict.  
cap. 3.

Tales igitur homines, id est, terreni, ex prima natiuitate, atque ad hæc caduca terrenaque incuruati, nondum regenerat. one caelestes effecti, terræ quoque nomine significantur, vt D. Cyprianus docet, velut cum dicitur Apostolis, *Vos estis sal terra*. In quibus pabulum inuenit Diabolus, quo se oblectet; qui quoniam terrena vitiorum immunditie pascitur, gaudetque mortales in ea volutari, *spiritus immundus* appellatur. *Valde vt metuendum esse appareat*, inquit D. Prosp. *quod dicitur serpenti, Terram manducabū omnibus diebus vitæ*; cum his verbis, homines terrenis voluptatibus inhiantes, ideoque terræ aptissimè comparati, feræ illi atque immani belluæ traditi significentur. Quid verò durius, quam ei seruire, qui incredibili feritate deuoret sibi seruiantes, nec cædis vllum faciat finem? Quid infelicius quam ab illo tali teneri captiuum, cum præsertim nulla te ratione ex eius potentissimis manibus extorquere queas? Quid funestius, quam ab illo tam tetro Principe pro  
eius



ius sæuissima libidine regi, & huc atque il-  
 uc per varios cupiditatum æstus, ad ipsam-  
 ue postremò sempiternam mortem rapi!

Tertia seruitus est corruptionis & mortis,

le qua Apost Paulus loquitur; *Vanitati creatura* Rom. 8.

*subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit*

*am in spe, &c. Quid enim est, Vanitati subiecta est,*

nisi corruptibilis facta est, sui corruptione

senfim euanescens, nihiloque propinquans?

Hæc est vanitas, de qua Dauid in Psalm. *Homo* Psal. 143.

*vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra præter-*

*eunt. Quam & Poëtę fugiendi verbo eleganter*

*expresserunt, vt Ouidius:*

Factor. 6.

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,*

*Et fugiunt freno non remorante dies.*

Sic & Poëtarum princeps Virgilius;

Georg. 3.

*Optima quaque dies miseris mortalibus aui*

*Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,*

*Et labor, & dura rapit inclementia mortis.*

Seneca, *Quoties, inquit, Virgilius loquitur de cele-* Epist. 109.

*ritate temporis, non illud ire, sed fugere dicit, quod ge-*

*nus currendi concitatissimum est. Hæc igitur hu-*

*manæ post peccatum vitæ conditio, hic sta-*

*tus adedò instabilis, vt pulueri, vt rori matu-*

*tino, vt flori iam nascenti, moxque marces-*

*centi, vt umbræ, fumoque vanitas eius meri-*

*tò comparetur.*

Cuius consideratione vanitatis D. Iacobus Iacob. 4.

repræhendebat eos, qui sua seruitutis & ca-

piuitatis obliti, tanquam liberi & securi, su-

perba exultatione dicebāt; *Hodie aut crastino die*

*ibimus in illam ciuitatem, & agemus illic quidem an-*

*num, & mercabimur, & lucrum faciemus. Qui igno-*

*ratis*

*ratis quid erit in crastino: quæ est enim vita vestra? Vix-  
por est, ad modicum parens, & deinceps exterminabi-  
tur. Cum enim omnes sub iusto iudice Deo  
mortis finis rei, non est in arbitrio nostro  
sita vitæ longitudo, sed ab illius supremi iu-  
dicis nutu tota dependet; vsque adeo, inquit  
D. Prosp. vt nec de ipsa mortis immanitate iusta  
sit ratio conquerendi, cum semel in naturam nostram  
per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem  
vita nostra fecerit diem.*

Lib. 2. de  
Vocat.  
gent. c. 21.

In Psal. 68.

*Mortalitas, ait S. Aug. & corruptibilitas carnis,  
compedes sunt, quibus ligati sumus. Et vultis nosse  
istorum compedum grauitatem? hanc per  
Salomonem deplorabat Sapientia his verbis,*

Sapient. 9.

*Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terre-  
na inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Declarare & hoc ipsum gentiliū Philoso-  
phia volebat, cum corpus hoc animæ carce-  
rem esse diceret; & eum quidem cæcum, &  
tenebricosum, in quo miserabiliter, contra-  
que præstantiam originis suæ premeretur.  
Quò referendum videtur & illud Psalmistæ;

Psal. 142.

*Educ de custodia, seu carcere animam meam. Non  
quia carcer est quod fecit Deus, sed quia  
mortale est, atque pœnale. Corruptela enim car-  
nis, inquit August. & pressura atque angustia car-  
cer nobis sunt.*

In illum  
Psal. m.

Ad hanc igitur seruitutem captiuitatemq;  
pertinet iugū graue, quod est super filios Adam a die  
exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ  
& in matrem omnium. Corpus enim, vt Apostolus ait,  
mortuum est propter peccatum, id est, moriendi  
necessitate constrictum, mortique destina-  
tum;

Rom. 8.

tum; ad quam varijs doloribus, ærumnisque trahentibus, ab alijs quidem celerius, ab alijs tardius, sed tamen ab omnibus inévitablem peruenitur.

*Pallida mors æquo, inquit Horat. pulsat pede pauperum tabernas,* 1. Cor. 4.

*Regumque turres.*

Et Boethius;

Lib. 2. de  
Consol.  
metro 7.

*Mors spernit altam gloriam,*

*Involuit humile pariter ac celsum caput,*

*Æquatque summis infima,*

atque armata in omnes aculeis peccati ad æternam damnationem transmittit.

Verum huius tam grauis ac ærumnosæ feruitutis & captiuitatis iugo pressis, maximam adfert consolationem, spemque libertatis Propheta, prædicens ac promittens aduentum Mariæ Virginis, & Christi Domini ex ea generis humani Redemptoris. Audite ergo serui, attendite captiui: *Nouam rem creauit Dominus super terram. Quam quæso? fœmina circumdabit virum;* id est, *Nascetur fœmina, qua vt ait D. Hieron. absque semine viri, absque vlllo coitu atque conceptu, gremio vteri sui virum circumdabit, qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate, sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.* In cap. 31. Jerem.

Iam enim inde ab initio conceptionis Christus Dominus membris & mente perfectus fuit, nullo deficiente ei, quod hominis integritati debetur; non anima, non mente, nec ipso libero mentis vsu. *Virum,* inquit D. Bernardus, *dixerim Christum Dominum, non solum iam cum diceretur vir Propheta, potens in opere & ser-*

Hom. 2.  
super mis-  
sus est.

**D** mone;

mone; sed etiam cum tenera adhuc membra infans, Dei Mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in utero. Vir ergo erat Christus, necdum etiam natus, sed sapientia non aetate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientia conceptus, quam natus; paruus, quam magnus; aequè plenus Spiritu sancto latens in utero, vagiens in praesepio, interrogans Doctores in templo, docens in populo. ita D. Bernardus.

In epistola  
Celestini.

Hic ergo vir, quem mirabiliter circumdat uterus Virginis, captiuos è carcere redimit, seruos libertate donat. Primum hominem, ait Innocentius primus, ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur, in prauaricationem praesumptione concideret: neque ex hac potuit erui, nisi eius prouidentia regenerationis, statim pristina libertatis, Christi Domini reformasset aduentus. Hic, inquit Ambros. libertatem, quam primo illi Adam tribuebat, reformauit, ut esset hominum genus sine lege seruitutis. Hæc autem libertas nihil aliud est, quam regni cupiditatis euersio, cui turpiter homo seruebat: Principis tenebrarum è cordibus credentium eiectionis, cui pernitiose subdebantur; mortis denique, cui miseranda necessitate obnoxius est homo, destructio, ac beatæ immortalitatis hic quidem spes certa, post hanc verò vitam secunda possessio. Tunc enim demum suis numeris erit absoluta libertas, cum & ipsa creatura, quæ hic vanitati subiecta fuerat, liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei.

Lib. 3. in  
Luc.

Rom 8.

Itaque gratiæ quidem libertate, qua serui-  
tur

tur iustitiæ, Christi que liberatoris suæ iugum portatur, hic utrunque Dei beneficio fruimur; gloriæ verò libertas futuri seculi est, *cùm mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc corpus quod circumferimus, induerit incorruptionem.* Tunc continget expectata illa redemptio corporis nostri, id est, perfecta consummataq; gloria; neque verò simplex libertas, *sed planè talis*, ait Chrysost. *ut non simus denudè ad priorem seruitutem reuersuri.* Propterea enim, inquit Ambros. *suscepit mortis seruitutem, ut tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.* Quæ omnia licet soli Filio tribuantur, pertinent tamen etiam ad laudem sanctissimæ Virginis Matris, *cùm nihil nos Deus habere voluerit*, inquit Bern. *quod non per Mariæ manus transiret.* Quàm ergo gratus nobis debet esse aduentus Virginis, quàm iucunda Natiuitas, cum quanta animi exultatione celebranda, quæ generi humano perduto ac damnato talem ac tantum portauit & protulit Saluatorem?

Duplici autem ratione Saluator hic è sanctissima Virgine nobis datus, ad recuperandam dictam libertatem nobis consuluit, ut Scripturæ & Patres testantur; quarum altera sita est in Exemplo; altera in Sacramento. Ut enim præclare D. August. *Christus*, inquit, *passus & mortuus est, & resurrexit; passione ostendens, quid pro veritate tolerare; resurrectione, quid in æternitate sperare debeamus; excepta tamen altitudine Sacramenti, qua sanguis eius fusus est in remissionem peccatorum; & quemadmodum ait Apostolus; ut iustificatio legis impleretur in nobis.* Sic & D. Leo:

D, 2 Salua-

1. Cor. 15.

Serm. 14. in  
epist ad  
Roma.  
In psal. 118.  
Serm. 18.

Serm. 3 in  
Virg. Nat.

Lib. 18.  
Ciuic. c. 49.

Math. 26.

Rom. 8.

Serm. 14.  
& 16. de  
pas.

1. Petri 2.

*Saluator noster, vniuersis in se credentibus, & Sacramentum condidit, & exemplum, vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc docet B. Petrus, dicens; Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; qui cum malediceretur, non maledicebas, cum pateretur, non comminabatur: et dedit autem iudicantis se iniuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum, vt peccatis mortui, iustitiam viuamus. Quibus verbis Apostolus ita commemorauit exemplum innocentiae & patientiae Christi, vt tamen & Sacramentum diligenter exprefert, in eo, quod peccata nostra ipse Christus pertulit in corpore suo super lignum, ad eum effectum, vt peccatis mortui, iustitiae viuamus.*

Lib. 1. de  
peccator.  
mer. c. 9.

*De quo rursus D. August. Adam, inquit, in quo omnes moriuntur, praeterquam quod eis qui preceptum Domini voluntate transgrediantur, imitationis exemplum est; occulta etiam rabe carnalis concupiscentiae suae, tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes; sic Christus in quo omnes viuificabuntur praeterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus praeiuit, dat etiam spiritus sui occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis; altissimo nimirum mortis suae Sacramento. Et D. Leo; Illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est; qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, & Sacramento consuluit, & exemplo; vt in adoptionem vocatos, per illud proueretur ad salutem, per hoc imbueret ad laborem.*

Serm. 4.  
de Epipha.

Fuerunt quidem in Ecclesia qui solo exemplo atque doctrina Christum nobis profuisse putau-

putarent, vt Iudaizantes, Pelagiani, & alij  
 hæretici; Christianam religionem hac ratio-  
 ne conculcantes, nec cur Christus mortuus  
 sit, & crucifixus, agnoscentes. Quid enim  
 paruulis exempla, quid doctrina conferre  
 possit? quos tamen regeneratos lauacro sa-  
 lutari, in regnum cælorum admitti credimus;  
 quod nemini aditus patere posset, nisi ianuam  
 Christus suæ crucis clauē reserasset. Deinde  
 quid antiquis Christus non paucis profuit iu-  
 stis, quos neque in natura nostra docuit, ne-  
 que exemplo excitauit? atqui & illi per gratiam  
 Christi saluati sunt, sicut & nos, teste Apostolo  
 Petro. Non enim quia secundum inscrutabile consilium  
 sapientiæ Dei, nouissimis diebus Verbum caro factum  
 est, ideo, inquit D. Leo; saluifera Virginis partus,  
 extremi tantum temporis generationibus profuit, &  
 non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis pro-  
 fus antiquitas colentium verum Deum, omnis numerus  
 apud priora secula sanctorum, sacra fide vixit & pla-  
 uuit; & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cui-  
 quam omnino sanctorum usque in redemptione Domini  
 nostri Iesu Christi, salus & iustificatio fuit. Sic ille.

Actor. 15.

Serm. 1. de  
Pass. & ser.  
3. de Nat.

Quid porro toties nobis in diuinis literis,  
 & aperte, & in umbris, sacrificium crucis,  
 hostia, reconciliatio, pretium sanguinis, me-  
 ritum, redemptio, aliaque eiusmodi com-  
 mendantur; suprà institutionem & com-  
 monitionem exempli, nihil in Christi morte  
 spectare debemus? Frustra D. Paulus in epi-  
 stolis elaborat, vt vim crucis demonstrat, &  
 ad delenda peccata quæcumque commissa  
 sunt; quod agit in Epist. ad Hebræos; & ad

vires hominū infirmas recreandas, ne deinceps cōmittantur, quod agit in Epist. ad Rom.

Epist. 83.  
cap. 4. &  
97. cap. 2.  
Serm. 12. de  
Pass. cap. 3.

Denique nullum erit descrimē inter mortem Christi, & Sanctorum, quod tamen recte & admodum Christiane ponit D. Leo Pontifex ad Leonem Augustum. *Quamuis, inquit, in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullus tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere iusti, non dedere coronas; & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientia, non dona iustitia. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit; cum inter filios hominum solus Dominus noster IESVS Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes sepulti, omnes etiam suscitati. Sic Leo.*

Imo ipsa exempli vilitas, omnisque fructus, sine Sacramenti virtute consistere non potest. Et qui sine Sacramenti operatione, humilitatis, mutique amoris virtutes è solo putent exemplo posse elici, haud secus facere videntur, quam si aut sine fundamento ædificare, aut super inane pingere velint. Corruptis siquidem vitiatisque antiqui serpentis veneno mortalibus, quamlibet veritatis prædicatio, quantumvis excellens virtutis exemplum, odor est mortis in mortem, potiusque cum detrimento salutis, quam cum iustitiæ fructu cognoscitur; si non altius misereatur per crucis Sacramentum salutis auctor, captiuorum redemptor, & nostrarum medicus animarum. Vnde bene D. Bernar.

Epist. 189.  
ad Innoc.  
Papam,

*Volo, inquit, totis visibus humilem sequi Iesum; cupio eum qui dilixit me, & tradidit semetipsum pro me, qui-*

*bus*



*quosdam brachijs vicaria dilectionis amplecti; sed oportet me & agnum manducare Paschalem; nisi enim manducauero carnem eius, & biberero sanguinem eius, id est, ut ipse explicat, nisi communicauero passioni Christi, eiusque mortis particeps effectus fuero, non habebō vitam in memetipso.*

Ioan. 6.

In Psal. 90.

Vers. 3.

Ioan. 6.

*Panis enim hic est verus, qui de celo descendit, & dat vitam mundo. Hunc ergo panem, qui est ipse Christus Dominus de sanctissima virgine natus, diligenter comparare studeamus, ipso monente, & iubente; Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Comparatur in primis fide, vnde ibidem subdit Dominus: hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Comparatur, supplici per eum ad Patrem effusa oratione: comparatur suauitac vtili passionis & crucis eius memoria, denique comparatur pio vsu Sacramentorum, maxime Eucharistiæ, vbi non solum incarnationis & mortis Christi effici-mur particeps, sed & ipsum incarnatum, & crucifixum corporaliter participamus. Hic panis, calore Spiritus sancti exsiccat fontes libidinum, vt ait D. Hieron. hic panis ligno crucis digerit inimicæ arboris venenatum haustum, vt est apud S. Augustinum. Hic panis lethalem omnium vitiorum digerit crudelitatem, vt affirmat D. Prosper. Denique hic panis robur ac vires suppeditat, vt per vnam sanæ fidei ac iustitiæ semitam in-offensis gressibus ambulemus, ad eam gloriæ coronam, quam Deus benè operantibus, & huius vitæ tentationes vsq; in finem vincen-tibus præparauit in cælis, &c.*

Ioan. 6.

In Epitaph.  
Licinij  
Beticæ.

Epist. 106.

Cont. Col-  
lat. cap. 19.

## MONITVM VI.

*Porta respiciebat ad Orientem, & erat clausa, & dixit Dominus ad me, Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Ezech. 44.

**P**ortam hanc, de qua loquitur Dominus ad Prophetam, Patres Deiparam Virginem intelligunt, per quam Filius Dei ingressus est in hunc mundum, ut homines verbo & conuersatione sua, in fide moribusque instrueret, passione ac morte ab æterna damnatione liberaret. Porta hæc respiciebat ad Orientem, quia Virgo sanctissima antiquam requirebat patriam, Paradisum, quæ Deus conueit in Edem ad Orientem; non gerebat affectum ad ista terrena, sed ad cœlestia semper anhelabat, & quamuis corpore versaretur in terra, animo tamen fixa cœlo hærebat. Deinde, quia cum reliquis veteris Testamenti Patribus summo desiderio atque amore tenebatur aduentus Christi Saluatoris, ut verus ille Sol iustitiæ oriretur in mundo, ad operandam salutem hominum in medio ter-  
ra.

Luc. 2. Vnde postquam audisset ab Angelo mysterium incarnationis filij Dei, in se iam iam complendum, maximo animi affectu, & gaudio, Ecce, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Deniq; cupiebat vehementer eundem solem iustitiæ oriri in cordibus eorum, qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant, ut ea & lumine veritatis illustraret, & charitatis igne accenderet. Quod futurum prædixerat Iaias Propheta; *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & sedentibus in regione umbra mortis, lux orta est eis.* Quod eis non fuisse concessum, serò apud Sapientem deplorant impij, dicentes; *Errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis, & Sol intelligentia non est ortus nobis.*

Ad eundem finem etiam Christiani ad Orientem versi orare consueuerunt: quem orandi ritum ab Apostolis traditum testatur Iustinus, Origenes, Basiliius, & alij. Ob quam causam & Gentiles credebant, solem esse Deum Christianorum, eumque ab eis adorari, ut testis est Tertullia. Tametsi abusus irrepsit, & superstitio, de qua D. Leo; *Sol, inchoatione diurna lucis exurgens à quibusdam insipientibus de locis superioribus adoratur; quod fieri partim ignorantia vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus, & dolemus.* Diligenter admonens ab illo abusu & superstitione penitus abstinendum. *Abijciatur, inquit, à consuetudine fidelium damnanda peruersitas, nec honor vni Deo debetur, eorum viribus qui creaturis deseruiunt, miscetur.* Ut ere, quomodo vtendum est, creaturis visibilibus, sicut

Lib. 4. qu.  
 118.  
 Hom. 5.  
 in Num.  
 de Spiritu  
 sancto c. 27.  
 In Apolog.  
 cap 16.  
 Serm. 7. de  
 Nat.

uſeris terra, mari, celo, aëre, fontibus, atque fluminibus, & quidquid in eis pulchrum atque mirabile eſt, refer ad laudem & gloriam Creatoris, & toto mentis aſpectu illud lumen amplectere, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, &c.

Ioan. 1.

Abiecta ergo hac ſuperſtitione rectè obſeruat<sup>r</sup> à Chriſtianiſ ritus ille precandi ad Orientem, ut ad exemplum Sanctiſſimæ Virginis ſignificent, ſe ærumnoſæ huius peregrinationis pertæſos, antiquas quærere tedes, ex quibus peccati merito exturbati eramus: ardentèrque expetere, ut Chriſtus Dominus, qui ſol iuſtitia & Oriens in Scripturis appellatur, oriatur in cordibus hominum qui in denſis errorum ac iniquitatum tenebris verſantur. Sciunt etiã Chriſtiani Chriſtum, facie ad occidentem verſa eſſe crucifixum, quem aſpicientes (iuxta præceptum Apoſtoli) per patientiam currunt ad propoſitum eis certamen, ab eo opem, ſalutemque omnem petenteſ ac expectanteſ.

Malach. 2.

Zach. 3.  
& 6.De naſc.  
lib. 4. c. 13.

Hebr. 12.

Cont. Hel.  
uid.Lib. 5. in  
Iulia. cap. 9.

Porro hæc, inquit Dominus ad Ezechielem, clauſa erit, non aperiatur; Significatur perpetua beatiffimæ Mariæ uirginitas; qua tanta fuit, ait D. Hieron. ut etiã ipſe Ioseph uirgo fuerit per Mariam, ut ex uirginali coniugio uirgo filium naſceretur, ſi enim in uirum ſanctum non cadit fornicatio, & aliam eam uxorem habuiſſe non ſcribitur; Maria autem quam putatus eſt habuiſſe, cuius ſuit potius, quam maritus, (ſpes enim commiſcende carnis per prolem Chriſtum ab Ioseph ablata fuit, inquit Auguſt.) relinquitur, uirginem permanſiſſe cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari. In eiſdem etiã perpetua

perpetuæ virginitatis testimonium, inquit Hieron. a Domino virgine Mater virgo virgini discipulo commendatur, cum discessurus ex hoc mundo, tanquã bonus filius curam Matris gerens, custodem ei ac prouisorem designaret, Ioannem videlicet, quem ea de causa plus cæteris à Christo amatum scribit Aug. quod neque vxorem duxerit, & ab ineunte ætate castissimus semper vixerit.

Lib. 1. in  
Iouinia.

Tract. vi.  
in Iouinia.

Oppugnauit hanc Sanctissimæ Virginis perpetuam virginitatem Iouinianus hæreticus, qui nesciens Scripturas, neque virtutem Dei, dicebat Mariam pariendo fuisse corruptam; existimabat enim impossibile esse, in veri hominis partu Virginem integram permanere. *Verum si vel per nascentem, ait August. corrumperetur Matris integritas, falsò (quod absit) Christum de Virgine natum tota confiteretur Ecclesia; falsò Isaias cecinisset Virginem parituram. Sed ipsa virtus, inquit alibi, per inuiolata Matris virgineã viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra iuuenis introduxit. Hic si ratio queritur, non erit mirabile; si exemplum pascitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos faciamus, inuestigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis.*

Enchirid.  
cap. 34.

Epist. 2. ad  
Volusia.

Imò visum sibi fuisse declarat August. quod etiam in statu innocentia, tametsi fuisset sexuum commixtio ad procreandam prolem, partus tamen citra integritatis corporeæ violationem extitisset. Et ibidem refert de annulo, qui omnino integer excidit, zona quoque cui alligatus erat, omnino integra per-

Lib. 14.  
Ciuit. c. 26.

Lib. 22. c. 8.

manente,

manente, & cùm suis nodis firmissimis astringa. Et subdit; *Non credunt hoc, quietiam Dominum Christum per integra virginalia Matris enixum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt.* Nouo ergo atque admirabili prorsus modo de Virgine editus est in hanc lucem Saluator. Sine libidine fuit conceptus, sine dolore matris genitus, sine viri opere venit in vterum, sine obstetricis obsequio venit in mundum. Ipsa eum Mater in præsepio reposuit, ipsa eum pannis inuoluit; tam à solita parientium infirmitate in partu libera, quam ab omni corruptione in conceptione aliena.

Synod. Ephes. 1. in epist. Syno. Fulg. in Serm. de Laud. Mar. Damasc. lib. 4. cap. 15. Ber. hom. Super Miss. Hier. cont. Heluid. De Instit. Virg. c. 7.

D. Ambros. tractans hanc Scripturam Ezechielis; *Qua, inquit, est hæc portanisi Maria? ideo clausa, quia virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia Virginitatis claustra non soluit, Mansit inemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis duranore signacula; tam exires ex Virgine, cuius celsitudinem mundus sustinere non posset.* Et rursus: *Quid incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra usum naturæ mare vidit, & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluentem remearunt? Non ergo excedit fidem quod Virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas, & in montis speciem maris vnda solida est, &c.*

Serm. 2. de Nat.

Sic & D. Leo, *Humano vsu & consuetudine, quod credimus, caret; sed Diuina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, & virgo permanserit. Non hic consideretur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo factus est, ut volens*

bas.

at & poterat. Si veritatem quaris, humana natura  
 gnosce materiam; si rationem scrutaris originis, vir-  
 utem confitere diuinam. Et iterum: Oportuit vt pri-  
 nam genitricis integritatem nascentis incorruptio cu-  
 todiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, &  
 sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa ser-  
 uaret, quæ venerat deiecta erigere, contracta solidare,  
 & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudici-  
 tia donare virtutem. Denique D. Fulgentius, De  
 calis medicus transiens per Virginem, inquit, post  
 transitum suum illa sãfecit Virginem permanere. Qui  
 enim disrupta corporum membra in alijs poterat inte-  
 grare tangendo, quando magis in sua Matre, quod in-  
 uenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit  
 enim eius partu integritas potius quam decreuit, & vir-  
 ginitas ampliata est potius quam fugata.

Eodẽ loco

In Serm. de  
laudib.  
B. Mariæ.]

Oppugnauit eandem Sanctissimæ Virginis  
 virginitatem perpetuam Heluidius hæreti-  
 cus, dicens eam post Christũ alios ex Ioseph  
 peperisse filios, vt author est Hieron. & Au-  
 gust. Contra clarissimam Ezechielis Prophe-  
 tiam; Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non  
 transibit per illam, quoniam Dominus Deus ingressus  
 est per eam. Nobilissimo enim hoc fructu fæ-  
 cundata virginitas aliam prolem non petiuit,  
 & quæ de Spiritus sancti obumbratione o-  
 mnispuritatẽ peperit authorem, carnis ille-  
 cebras non quæsiuit; sed inde purgationem traxit,  
 inquit D. Leo, vnde concepit, & tanta prolis pro-  
 tectione, incorrupta semper Virgo permanfit. Si recte,  
 ait D. Epiphã. in Scripturis Christus Leo dicitur,  
 profecto & genitricem ipsius Leanam dixerim; vnde  
 enim omnino gignetur Leo, si non Leana mater voca-

Cont. He-  
luid. De  
Hæresib.Serm. 2. de  
Nat.

Hæres. 78.

bitur?

bitur? *Leana enim non contingit secundus partus; ergo non amplius partum nouit Maria, non amplius coniunctionem corporum sancta Virgo.*

In apolog.  
pro libris  
cont. Iou.  
ad Pãmach.  
Ioan. 19.  
Cant. 4.  
Ioel. cap. 3.

Sic & D. Hieron. *Christus virgo, Mater Virginitatis nostri, Virgo perpetua, Mater & Virgo. IESVS enim clausis ingressus est ostijs; & in sepulchro eius, quod nouum & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus; de quo fonte ille fluuius manat, iuxta Ioël, qui irrigat torrentem, vel sunium, vel spinarum; sunium, peccatorum, quibus ante alligabamur, spinarum, quæ suffocant sementem Patris familias. Hæc est porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per quam solius iustitia & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech, ingreditur & egreditur. ita D. Hieron.*

Hier. 78.

Hinc & in Ecclesia Dei à perpetua Virginitate consecuta est cognomentum; nam quantumuis Dei Mater esset, quo excellentior nullus est titulus; tamen nunquam nominari à maioribus consuevit sine superaddito cognomine Virginis; Vnde in hanc sententiam hæc Epiphanius; *Quis vnquam aut quo seculo ausus est proferre nomen Sancta Maria, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus Epithetis etiam virtutis signa elucet; dignitatis enim appellationem acceperunt iusti, vnusquisque decenter, ut congruum fuit: Et Abraham quidem impositum est epitheton, amicus Dei, & non dissoluitur; Iacob verò, ut Israël vocetur, & non alterabitur; Apostolis Boanerges hoc est, filij tonitrui, & non relinquetur; & Sancta Maria vox, Virgo, & non*

Iacob. 2.

Genes. 32.

Marc. 3.

muta-



*mutabitur, impolluta enim permansit & sancta.*

Ad eiusdem rei confirmationem pertinet, quod de voto virginitatis ab eadem Sanctissima Virgine Deo facto ex Scriptura certò colligunt Patres. Cùm enim illa de futura prole concipienda, accepto nuntio, excipit de sui corporis integritate, dicens, *Quomodo fiet istud,* Luc. 1. *quoniam virum non cognosco:* ne præter sententiam eam fuisse responsionem, & elusionem potius, quàm iustam exceptionem (quod omnino absit) dicere cogamur; eam de virginitate seruanda votum nuncupasse, fateri necesse est. Quid enim? *Ecce concipies,* ait Angelus. *Virum non cognosco,* illa respondit. Nihil certè ad rem, nam post hæc cognoscere potuisset, ac concipere (quod dictum erat) in utero. Verùm quàm maximè oportune se non cognoscere virum excepit, quod impossibile existimaret, semel Deo deuota virginitate, se virum aliquando cognituram; alioqui nulla fuisset in ea admirandi vel sciscitandi leuis saltem occasio, quin promissis ab Angelo acquiesceret.

Non enim verum est, quod affirmant hæretici, in consolationem damnationis suæ, qui violato voto castitatis in fordibus libidinum volutantur, voto facto nihil obligationis accedere; alioqui Apostolus Paulus non diceret, *damnationem illas habere, quæ primam fidem irritam fecissent,* hoc est, inquit August. *in eo quod primò vouerant, non stetissent.* Neque D. Cyprianus eas quæ post votum, sanctamque professionem continentia, non sibi à concubitu tem-

1. Tim. 5:

De S. Virg.  
cap. 33. 34.  
Lib. 1.  
epist. 11.

In Conft.  
Monaft.

temperaffent, non mariti fed Chrifti vocaret adul-  
teras, difiungique præciperet, nifi cenfuram  
vellent Ecclefiaticæ difciplinæ fubire, & à  
fidelium communionem feiungi. D. etiam Ba-  
fil. Quando, inquit, aliquis fe Deo femel auctorauit  
per continentiam, hoc detrectare non licet, nec aliter  
quam aliquod munus aut hofciam Deo facram fe fe illi  
cufodire, ne eos facrilègi nos Dominus accufet, fi di-  
catum ei corpus rurfus rebus profanis aut communis vi-  
ta ministerio fordidauerimus.

Lib. 1 c. 14.  
de adulter.  
Coniug.

Denique D. Auguft. Cafitās, inquit, & fi quæ  
alia funt, quæ rectiffimè vouentur, cum homines voue-  
rint, nulla conditione rumpenda funt, quæ fine vlla con-  
ditione vouerunt, quia & hoc Dominum præcepiffe in-  
telligendum eft, vbi legitur, vouete & reddite Domino

Pfal. 75.  
Serm. 12. in  
mouis Ser.

Deo veftro. Et de Ananiæ & Saphiræ peccato  
ac fupplicio differens, tandem ait; Hoc attendat  
charitas veftra; quia fi difplicuerit Deo, detrabere de pe-  
cunia, quam vouerant Deo, & vti que illa pecunia vfi-  
bus hominū fuerat neceffaria; quomodo irafcitur Deus,  
quando vouetur cafitās, & non habetur? Vouetur enim  
ad vſus Dei, & non ad vſus hominum. Quæcunque au-  
tem hoc fecerint, vouerint talia & non reddiderint, non  
fe putent temporalis morte corripi, fed æterno igne da-  
mnari. Sic Auguftinus.

Cap. 2.

Vidētis, quam ratione Propheta Ezechiel,  
aduentum Sanctiffimæ Virginis eiuſque ca-  
ſtitatem perpetuam nobis prædixerit; v nuf-  
quifque illam in hac Scriptura, ſimilibusque  
alijs vtiliter ac ſuauius contempletur. Non  
ſequamur illos, qui librum, qui eidem Pro-  
phetæ demonſtratus eſt ſcriptus intus & fo-  
ris, in litera, ſeu quatenus ſcriptus eſt foris,  
tan-

tantummodo legunt, vel audiunt, sed magna  
 circumsp̄ctione & cura adnitendum est, vt  
 intus, in sensu, spiritu Dei viui, a nobis lega-  
 tur, & intelligatur. *Totum quidem quod legimus* In epist. ad  
*in diuinis libris, inquit D. Hieron. nitet & fulget,* Paulinum.  
*etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere*  
*vult nucleum, nucem frangat, oportet. Nec oportet,*  
 inquit S. August. *a segeris asperitate abhorre- sed* De Gent. ad  
*vellende sunt spica, & tamdiu versanda manibus,* lit. lib. 1.  
*contritæque purganda, donec ad escam spiritalem per-* cap. 20.  
*ueniatur, cuius luauitate delectatus animus,*  
 nutriatur ac foueatur, in vitam æternam.

## MONITVM VII.

*Abscisus est lapis de monte sine mani-*  
*bus, & factus est mons magnus,*  
*& impleuit terram.*

Daniel. 2.

**B**ona sunt in Scripturis Sanctis mysteriorum pro-  
 funditates, ait D. August. *qua ob hoc teguntur,* Sent. 67.  
*ne vilescant, ob hoc quaruntur, vt exercent; ob hoc* apud Prosp.  
*aperiuntur, vt pascant. Et alibi; Sunt quedam delitia* In Psal. 38.  
*sancta in Diuinis eloquijs, sunt quedam spiritualia*  
*gaudia, ex Verbo Dei, ex Scriptura aliqua scrutata, &*  
*inuestigata, ex dulcedine inuentionis, quam precessis*  
*labor inquisitionis. Scrutemur ergo & inuesti-*  
*gemus hanc sententiam Danielis Prophetæ;*  
*inquiramus, et si cum labore ac difficultate,*  
 E quid

quid significet, quid contineat, vt in inuentione spirituales in animo refectionem sentiamus. *Abscissus est, inquit, lapis de monte sine manibus.* Lapidis vocabulo ac similitudine frequenter in Script. significari Christum Dominum, plurimis earum testimonijs à D. Cypriano confirmatur.

Contra Iudeos lib. 2.

Conuenit autem pulchrè Christo similitudo & appellatio lapidis. Primò, ob eius humilitatem; lapis enim omnium pedibus conculcari solet, & ad humiliora loca naturaliter descendit, ac in illis conquiescit. De Christi humilitate, ipsemet in Psalmo, *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* De eadem eius Apostolus: *Exinanivit semetipsum, formam serui accipiens: humiliavit semetipsum vsque ad mortem crucis.* De qua & D. Hieron. Pammachio, *Quantumcumque te deieceris, Christo humilior non eris.* Deinde propter soliditatem & firmitatem, quam & ipse Christus habet, vnde de eo dicitur, *Os non comminuetur ex eo;* & alijs etiam communicat, vnde de iustis Psalmita, *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* significatur, inquit August. *fortitudo & patientia Christi, eiusque fidelium, qua non frangitur, qualibet tormenta, qualibet tribulationes, qualibet aduersitates huius seculi vndique sauiant.*

Psal. 21.

Philip. 2.

Hiero. ad Pammach.

Ioan. 19.  
Psal. 33.  
& ibi. S.  
August.

*Caduntur gladius more bidentium,  
Non murmur retonat, non querimonia,  
Sed corde tacito mens bene conscia*

— *Conseruat patientiam.*

Ipse Christus lapis est fundamētalis, sine quo nulla spiritualis ædificatio inchoari, nulla per-

fici,

fici, nulla stare potest. *Ecce ego*, inquit Dominus per *Isaiam*, *mittam in fundamentis Syon lapidem probatum, pretiosum, in fundamento fundatum.* Ipse est *petra*, super quam fundata est, & sustentatur Ecclesia; ideoque nullo vnquam tempore, nullaque vi labefactari & euerti poterit. Imò nec *porta inferi*, id est, hæreses, errores, scelera, impietates, quæ ad inferos ducunt, *praualebunt aduersus eam*, spiritali hac *petra* illam firmante ac protegente. Denique ipse est *Lapis angularis*, vt ibidem *Isaias* ait, de quo & *Propheta Dauid*; *Lapidem quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli.* Sicur enim *lapis angularis* vtrumque parietem necitat, ita ipse duos populos, *Iudaicum & gentilem* in se coniunxit. Vnde *Apostolus Paulus*, *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & duos condidit in semetipso in vnum nouum hominem.*

Isai. 28.

Matth. 16.

I Salm. 117.

Eph. 2.

Sed quomodo hic *lapis abscissus est de monte sine manibus*? Non dubium significari hic admirandam *Christi generationem* ex *Matre Virgine*, sine vlllo virilis feminis concursu, vt *Hieron.* & alij *Patres* testantur. de qua etiam intelligendum illud *Prophetæ*, *Generationem eius quis enarrabit?* vt *D. Leo* docet, dicens, *Natiuitas Domini omnia miracula, omnemque intelligentia rationem excedit.* Neque insolens est in *Scripturis*, generationem alicuius ex aliquo, præsertim mirabilem ac supernaturalẽ, appellare excisionem è *petra*. Ita enim *Isaias* *Propheta*; *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, ex qua præcisi estis*; quam *metaphoricam locutionem* mox declarans sub-

Isai. 53.  
Serm. 3. &  
10. de Nat.

Isai. 51.

iungit; *Attendite ad Patrem vestrum Abraham & ad Saram, qua peperit vos.* Significans Isaac, ex quo progeniti sunt Iudæi, ex parentibus infœcundis, & ad modum petreæ sterilibus, mirabiliter esse generatum; quemadmodum Dominus ac Saluator noster mirabiliter abscissus est de monte sine manibus, id est, vt Hieron. explicat, *absque coitu & humano semine de utero Virginali: vel vt D. August. sine opere humano sine maritali amplexu de Virgine exortus est.* hinc ipse ad Patrem; *Tu es qui me extraxisti de ventre Matris, id est, Tu es qui singulari opere spiritus tui extraxisti me de ventre absque ullius hominis opere, & permanente Matris integritate.*

Mons autem meritò dicitur Virgo Maria, propter singularē virtutum omnium excellentiam, quibus fuit ornatissima; vnde ab angelo *plena gratia* saluatur. Aliter quidem quam Christus plena gratia fuit; is enim fons est plenissimus, vnde omnis gratia profluit, de cuius plenitudine omnes accipiunt; Maria autem præ cæteris omnibus a filio suo Dei charismatibus abundauit. Fuerunt quidem & alij montes sapientia & sanctitate eminentes, vt Apostoli & Prophetæ; de quibus Dauid, interprete D. August. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis;* illi enim prius a Deo illuminati, reliquos omnes sua doctrina & prædicatione, Deo intus cooperante, illuminant. Vnde de illis Christus, *Vos estis Lux mundi.* De quibus & Prophetæ Ezechiel; *Quod pascet Dominus oves suas in montibus Israël,* id est, in authoribus Scripturarum sanctarum, vt D. August. expli-

In cap. 2.  
Daniel.

Tract. 9. in  
Ioan.

Psal. 21.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Psal. 79,

In Psal. 75.  
& 35.

Math. 5.

Ezech. 34.

Tract. de  
Past. cap. 11.

explicat; qua vberissima pascua sunt, vbi sunt casta  
*delicia cordis nostri. vbi nihil venenosum, nihil acrium,*  
*in quibus animus optimè pascitur veritatis pabulo, in*  
*quibus omnis morbus aëna suum habet medicamentū.*

In Psal. 35.  
 in præfat.

Verum multò eminentior mons D. Virgo,  
 in qua tanta fuit virtutum sublimitas, vt non  
 incongrue de ipsa intelligat D. Grego. quod  
 apud Hæliam dicitur, *Erit in nouissimis diebus præ-*  
*paratus mons domus Domini in vertice montium. Maria*  
*quippe mons in vertice montium fuit, inquit Greg.*  
*quia altitudo Maria supra omnes sanctos refulsit, immo*  
*meritorum verticem supra omnes Angelorum choros*  
*vsque ad solium Deitatis erexit. Sic & Germanus*  
*Episcopus Constan. Deipara virgo Deum inuisibi-*  
*lem, & omnia manu sua continentem, ultra omnem &*  
*hominum & Angelorum existimationem in ventre suo*  
*concepit, & ex se incarnatum genuit. Ob id eam, vt ve-*  
*re & propriè veri Dei Matrem veneramus & magnifi-*  
*camus, & quauis visibili & inuisibili creatura supe-*  
*riorem reputamus.*

Isaï. 2.

In 1. Reg.  
 cap. 1.

In epist. ad  
 Ioan. Episc.  
 Epist. Sy-  
 nod. 7. act. 4

Sed videndum, quomodo lapis iste creue-  
 rit in montem magnum; &, Quomodo im-  
 pleuerit terram? Christus initio parvus fuit,  
 quia a paucis cognitus; contemptus, & despe-  
 ctui habitus, propter carnis, quam induerat,  
 infirmitatem, propter pauperem vitam & hu-  
 milem conuersationem, propter acerbiteriam  
 passionis, & ignominiam crucis. Creuit au-  
 tem, non quidem secundum gratiam & glo-  
 riam animæ, quam inde ab exordio vsque sui  
 conceptus tantam habuit, quantam nunc ha-  
 bet, sed creuit secundum gloriam corporis,  
 quam habuit post resurrectionem, quando,

- Zach. 3. iuxta visionem Zachariæ, depositis sordidis vestibus, indutus est vestimentis honoris & gloriæ, deposito corpore mortali & miserijs obnoxio, corpus immortale ac gloriosum recepit. Creuit etiam secundum famam & gloriam nominis sui, quod toto orbe celebratum est; de quo Paulus, *Exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Et omnis lingua confitebitur quia ipse est in gloria Dei Patris*, id est, eiusdem gloriæ, Maiestatis, essentia cum Patre. Et, *quod non sit in alio aliquo salus: nec enim aliud est nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Denique creuit in corpore suo mytico, quod est Ecclesia; quam per vniuersum mundum diffusam & dilatam cernimus, sicut in Scripturis promissum erat, *in Christo benedicendas omnes gentes, & dominaturum eum vsque ad terminos orbis terrarum.* Vnde & ipse mandauit Apostolis, *vt predicarent in nomine suo penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Dictum est Christo, *Oleum iussu nomen tuum: Non enim, inquit S. August. illud tenuit in Ierusalem, quasi in vase, sed tanquam confrecto vase, diffusum est per totum mundum.* Sic & D. Hieron. *Quam varia nationes, linguis, habitu, vestibus, armis, velut musca & culices contereabantur: absque notitia enim creatoris sui, omnis homo pecus est. Nunc vero passionem Christi, & resurrectionem eius, cunctarum gentium & voces, & litera sonant.*

Varijs autem modis Lapis iste repleuit terram. Primo prædicatione Euangelicæ doctrinæ, quæ per Apostolos & discipulos eius toto orbe personuit, sicut prædixerat Dauid; *In omni*



omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. De solo Paulo dicitur, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel. Et diffundenda adhuc est in illas gentes ad quas nondum peruenit, si quæ forte super sint. Nam iuxta promissum Saluatoris prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso mundo. Vnde si in extremis mundi partibus sint aliqua nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit, non ambigimus etiam circa illas occulto Dei iudicio, tempus vocationis esse dispositum, quo Euangelium, quod nondum vident, audiant, atque suscipiant, inquit D. Prosp.

Lib. 2. de  
voc. gent.  
c. 17. Aug.  
epist. 80. ad  
Elych.

Deinde impleuit terram scientia Domini: illa enim prædicatione & doctrina hoc effectum est, Domino cooperante, vt mundus crederet vnum esse Deum authorem omniū colendum, Deos autem, quos prius colebant homines, esse inania simulachra, & fallaces dæmones; quod prædixerat Isaias, de aduentu Messie loquens, *Repleta est terra scientia Domini. Prius gloriabantur Iudæi; Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Et; Annuntiat verbum suum Iacob, non fecit taliter omni nationi. Nunc autem spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Per Christum enim verus Deus a mundo cognitus & glorificatus est, repudiato abiectoque falsorum Deorum cultu.*

Isai. 11.

Ipsi olim Platonici, inquit August. qui de Deo summo & vero senserunt, quod & rerum creaturarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agenda- rum; quod ab illo sit principium natura & veritas doctrina, & felicitas vite, nihilominus sicut ceteri Philosophi dñs plurimis sacra esse facienda putauerunt. Et

De Ciuit.  
lib. 8. cap. 9.  
& 12.

qui ficta esse omnia quae de Dijs ferebantur, probè scie-  
bant (quod ex Ennij facta historia facile cog-  
noscere poterant) ex consuetudine tamen publi-  
ca, quae quoniam legibus erat confirmata, conuelli non  
poteras, & ne populos offenderent, idolis immolabant.  
De Seneca dicit August. Colebat, quod repra-  
hendebat; agebat, quod arguebat; adorabat, quod cul-  
pabat, videlicet, propter mores civium, legesque po-  
pulorum. Tandè verò impletum est illud Ierem.  
Dij qui caelum & terram non fecerunt, percant de  
terra, & de his quae sub caelo; vt vnus demiceps ho-  
noretur Deus, author omnium & conserua-  
tor. Quapropter dixit Christus Patri suo; Ego  
te clarificauit super terram. Hoc etiam, in Psalm.  
cecinit Dauid; Replebitur Maiestate eius omnis ter-  
ra. Et; Domine Dominus noster, quam admirabile est  
nomen tuum in vniuersa terra. Et Malachias de  
Christi aduentu vaticinatus est; Ab ortu solis  
vsque ad occasum magnum est nomen meum in genti-  
bus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo  
oblatio munda, &c.

Præterea repleta est terra odore virtutum  
ac sanctitatis. Etenim vbi Christi doctrina  
innotuit, incredibili ardore hominum ani-  
mi vbique terrarum & gentium inflammati  
sunt ad colendas virtutes, etiam eximias &  
singulares, nec tantum antea inusitatas, sed  
etiam incognitas, & planè diuinas; vt sunt,  
Continentia, vsque ad tenuissimum victum panis &  
aquae; & non quotidiana solum, sed & per plures dies  
perpetuata ieiunia; castitas, vsque ad conjugij prolisq;  
contemptum; patientia, vsque ad cruces, flammisque  
neglectas; liberalitas, vsque ad patrimonium distribu-

PAN-

Lib. 6. c. 10  
Ciuit.

Ierem. 10.

Ioan. 17.

Psalm. 71.

Malach. 1.

August. de  
Vilit. cred.  
cap. 16.  
& seq.

*pauperibus; ardens charitas, & summa pax atque unitas inter veros Christianos; deinde totius mundi aspernatio, usque ad desiderium mortis: & alia, quæ non solum quia noua, sed etiam quia supra humanæ fragilitatis vires esse videbantur, erant hominibus admirationi, stupori, miraculo.*

Deinde plenus fuit orbis prodigijs & miraculis, quæ passim & vbique vel ab ipso Christo, vel ab alijs eius virtute ac nomine, patrabantur. *Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus; aqua in vinum conuersa, saturata sunt quinque millia quinque panibus, transit a pedibus maria, mortui resurrexerunt: homines vnius linguæ, vel vt mulsum, duarum, linguarum omnium gentium locuti, claudus ab vberibus matris ad verbum in Christi nomine post 40. annos incoluimus constitit; sudaria de eorum corporibus ablata, sanandi profære languentibus; umbra eorum transiens super ægrotos varios ordine positos, eos sanauit, & alia multa stupenda, quæ in Christi nomine per Apostolos, aliosque sanctos, ad nostrâ usque tempora facta sunt, & frequenter fiunt.*

Aug. ibid.  
& de Ciuit.  
lib. 22. c. 5.  
& seq.

Ad hæc abundare cœpit in terra desiderium & expectatio bonorû cælestium. Christi namque fides docuit homines mûdo neglecto, terrena despiciere, & amare cælestia. Et sanè admirandum fuit, in quibus rebus homines summum bonum, supremamque felicitatem suam collocabant, eas deinde res ab eisdem hominibus negligi, pro nihilo haberi, vltro derelinqui. Pro adeptione autem cælestium bonorum, quæ à sensibus longè remota, prius nec curæ, nec cordi erant ho-

E 5           minibus,

minibus, cætera omnia bona, quæ præsentia, & ante oculos sunt, & suum decorem ac delectationem habent, postponi; nullum recusari laborem, quæuis adiri pericula, profundæ etiam sanguinem, & mortem ipsam libenter & gaudenter oppeti.

Adde, quod per doctrinæ Christi prædicationem impleti sint hominum animi, metu ac pauore Iudicij futuri; quod ipse Christus diligenter voluit mundo inculcari; vt testatur Apostolus Petrus; *Præcepit nobis predicare & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Quod præceptum exequens Apostolus Paulus, in prima sua concione ad Athenienses; *Statuit, inquit, diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate.* Et apud Felicem Præsidem disputabat de *Iustitia, Castitate, & Iudicio futuro*, tanto rerum ac verborum pondere, vt tremefactus Præses sermonem eius abrumperet. Maximo ergo terrore perculsus est mundus, cum per fidem Christi cognouit, aliquando futurum, vt Christus ab omnibus & singulis hominibus exactissimam rationem summa seueritate repositat omnium, quæ vnquam fecerint, dixerint, cogitauerint, ita vt etiam verba otiosa, & secretissimæ animi cogitationes, intimique sensus & appetitiones, tunc palam in notitiam omnium proferendæ, & Iudicis Christi subtilissimo examine discutiendæ sint. De quo Sap. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in Iudicium, omne absconditum, siue bonum, siue malum.* Et est sententia

tia

tia V. Bedæ; Meminisse debemus, fratres, facta & cogitationes nostras, non in ventum disfluere, sed ad examen summi Iudicij cuncta seruari, in sine nobis ostendenda, siue per amicos angelos, siue per hostes.

Lib. 5. Hist.  
Aug. c. 15.

Insuper, repieuit Christus orbem reuerentia & veneratione, non tantum nominis sui, in quo omne genu flectitur caelestium, terrestrium, & infernorum; sed etiam Ecclesiæ suæ, cui dictum est ab Esaia; Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi, vultu demisso in terram adorabant te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et, Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, id est, fidem & mores suos component ad doctrinam & præcepta tua; scientes dictum Ecclesiæ, Gens & regnum quod non seruiert tibi, peribit. Et, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et iterum dicitur Ecclesiæ; Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis; & erunt Reges nutritij tui, & Regina nutrices tuae. quo futurum significatur, inquit D. Cyrill. Gentium ac Regum opibus augendam, fouendam, defendendam, ac promouendam Ecclesiam. Quid enim adductis ad Christum Regibus dignius atque honorificentius, quam vt Christi Ecclesiam, matrem suam, cuius sunt filij, quæ illos in Christo genuit, gremio suo fouit, doctrinæ suæ lacte nutritiuit, diligenter colant ac venerentur; legibus, opibus, ac viribus omnibus propugnent ac tueantur? Aliter quis seruit Deo, inquit D. August. quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, Deo seruit, viuendo fideliter; quia vero etiam Rex est, Deo seruit, leges iusta præcipientes, & contraria

Philip. 2.

Isai. 60.

Isai. 49.

Isai. 60.

Matth. 18.

Isai. 49.

Cyril. in  
Isaiam.

Epist. 50. &  
cont. Cresc.  
lib. 3. c. 51.

araria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo, non solum qua pertinent ad humanam societatem sed etiam qua ad Diuinam religionem.

In epist. ad  
Damaf.

Denique repleuit terram reuerentia ac ueneratione eius hominis, qui Vicarius ipsius est in terris, summi, uidelicet, Pontificis, quem uniuersus orbis Christianus & Catholicus honorat, colit, ac veneratur; cuiusque responsa & decreta, non secus ac Diuina oracula reuerenter ac obedienter requirit, amplectitur, & obseruat. Audite D. Hieronymum ad Damasum Pontificem ita loquentem; *Quoniam Christi uineam per Orientem exterminauit uulpes, ut inter lacus conuictos, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conuulsus, hoc est, Ecclesia ueritas sit, possit intelligi, ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc anima mea postulans cibum, unde olim uerimenta Christi suscepi, apud quam solam, profligato à mala sobole patrimonio, incorrupta Patrum seruetur hereditas.* Similiter loquitur D. Bernardus ad Innocentium Pontificem; *Oportet, inquit, ad ueritatem referri Apostolatam pericula quaeque & scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hac quippe huius praerogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

Rom. 1.

Epist. 190.

Luc. 22.

Serm. 1. de  
Nat. Apost.

De eiusdem authoritate & potentia ita D. Leo Romam alloquens; *Quamuis multis aucta victorijs,*

victorijs, ius imperij tui terra, marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit. Et per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsides religione divina, quam dominatione terrena. Sic & D. Prosper; Gratia Christiana non contenta est eosdem limites habere, quos Roma, multosque iam populorum scepro Crucis illa subdidit, quos armis suis ista non domuit. Qua tamen per apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.

Lib. 2. c. 6.  
de voc. gēt.

Eodem modo & Imperatores Romani Vicarium Christi coluerunt ac venerati sunt; ex quibus Theodosius Magnus, vt alios omitamus, Cunctos populos, inquit, quos clementia nostra regit imperium, in tali volumus Religione versari, quam diuinus Petrus Apostolus Romanis tradidit, quamque Damasum Pontificem sequi claret. Secutus in hoc Gratianum pium Imperatorem, qui scripserat legem, qua præcipiebat, vt expulsi Pastores ad sua Ouilia redirent, sacræque Basilicæ eis traderentur, qui communionem Damasi sequerentur, vt refert Theodoretus. Sic & Martianus Augustus Leoni Pontifici scribens de conueniendis Episcopis ad certum locum: Vt, inquit, qua Christianorum religioni atque Catholica fidei profint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas diffiniuerit, sua dispositione declarent. Audistis Prophetiam, vidistis in ea aduentum Sanctissimæ Virginis, & admirabilem Christi ortum ex ea, nec non & varios fructus, ac multiplices utilitates, easque insignes & amplissimas, quæ ex vtriusque aduentu ad nos profluxerunt. Nostrum erit singula

In histo.  
Trip. lib. 9.  
cap. 7.

Lib. 5. Hist.  
cap. 2.  
Tom. 1.  
Concil.

singula quæque, tanquam munda animalia, diligenter ruminare, & cum animo nostro sedulo expendere, ac consideratione operum Domini, nos ipsos ad lætitiã spiritualem, amorem, gratiarum actionem, admirationẽ, similesque affectus excitare, quibus hic in spiritu deuotionis ac pietatis foueamur, & proficiamus in vitam æternam.

### MONITVM VIII.

*Quomodo fiet istud, quoniam virum  
non cognosco?*

Luc. 1.

**C**olloquuntur in Euangelio hodiernæ festiuitatis duæ excellentes personæ, Archangelus Gabriel, & Sanctissima Virgo Maria, non de rebus vanis aut friuolis, sed de summo Religionis nostræ mysterio, Incarnatione, videlicet, filij Dei in ea tunc peragenda, qua inter opera Dei nullum maius, nullum sublimius. Ac Gabriel quidem pluribus legationem suam Virgini exponit, sed ad eam paucis Maria Angelo respondet: idque inter eius virtutes numerat D. Ambros. *Quod esset legendi studiosior, loquendi parcior.* Quod etiam Sapiens commendat, dicens, *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.*

Lib. de  
Virgini. 2.

Prou. 10.

Prima ergo sententia, quam reddit ad verba Angeli, quibus eam filium Dei concepturam

ram



ram in vtero ac parituram annuntiat, his pau-  
cis verbis continetur, *Quomodo fiet istud, quoniam*  
*virum non cognosco?* Non quærit autem Virgo,  
*Quomodo*, quasi incredula de oraculo, in-  
certa de nuntio, vti Zacharias, dicens, *Vnde hoc*  
*sciam?* vel Nicodemus, petens, *Quomodo potest*  
*homo nasci cum sit senex?* vel Capharnaitæ, dicen-  
tes, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad*  
*manducandum?* Quando, ait D. Chrysof. *anima*  
*cogitationum vincitur febre, quando ambiguitatis ia-*  
*ctatur fluctu, tunc quærit; cum vero illa sana est, non*  
*quærit, sed fideliter credit.* D. Cyrill. *Quomodo, in-*  
*quit, summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum*  
*omnium Opificem Deum ita contemnunt, vt, Quomodo,*  
*in operibus suis dicere audeant, quem totius Sapientie*  
*largitorem esse non ignorant, quem omnia posse Scri-*  
*ptura nos docuit?* Et rursus: *Animus malignus que-*  
*cunque non intelligit, statim tanquam friuola, falsa que*  
*per arrogantiam eiecit, nulli cedens, nec aliquid supra*  
*ipsum esse existimans; nec illi in mentem venit, nihil*  
*impossibile esse apud Deum. Nos autem cum Deus ope-*  
*retur, non quæramus, Quomodo, sed operis sui viam*  
*atque scientiam illi soli concedamus. Non enim sunt co-*  
*gitationes mea vt cogitationes vestra; nec sicut via ve-*  
*stra, via mea, dicit Dominus; sed sicut exaltantur cæli*  
*à terra, sic exaltat a sunt via mea à vjs vestris, & co-*  
*gitationes mea à cogitationibus vestris.*

Non ergo dixit Maria *desperando*, *Quomo-*  
*do*, vt alij, *sed inquirendo*, inquit D. Augustinus:  
sciebat enim certissimè euenturum, quod  
ex ore Omnipotentis Dei prænuntiabat An-  
gelus; vnde inter cæteras laudes, præcipuè  
ab insigni fide commendatur ab Elisabeth,  
Spiritu

Luc. 1.

Ioan. 3.

In cap. 6.  
Ioan.Lib. 4. in  
Ioan. c. 13.

Ibidem,

Ifai. 55.

Serm. 111.  
in Nou.  
Ser. 22

Aug. Super  
Num. c. 10.

Lib. 2 in  
Luc. 1. c. 1.

Epist. 42.

Ibidem.

Lib. de S.  
Virg. c. 4.

Spiritu Sancto plena; *Beata quæ credidisti*. Sed modum quærebat, quo res tanta, tanque admirabilis fieret, eò quod cum voto virginalis continentix, quod emiserat, pugnare videretur. *Legerat enim, quod virgo conciperet*, inquit Ambros. *non legerat, quemadmodum Virgo generaret*. Hoc primum angelus in Euangelio aperuit. Plenam puritatis Mariam, cura castitatis quam vnice diligebat, primò tangebatur, dum ab angelo exaltanda prædicatur. *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, me non cognituram voui? quemadmodum id Sancti Patres explicant. Nisi enim virginitatem Deo vouisset, cogitasset, se viro coniungendam fore, cum actus Matrimonij, ei qui non vouit castitatem, non sit prohibitus.

Latissima audiuit ab Angelo, quod conceptione & partu filij Dei, nihil votum eius de seruanda castitate, impediretur. *Quid enim illud decorius, inquit D. Bernard. quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quandam immortalis gloria representat*. Et rursus: *Differunt quidem homo pudicus & angelus, sed felicitate, non virtute; & si huius castitas felicior, illius tamen fortior esse cognoscitur: quia in vase fragili portatur, & multos thesaurus ille oppugnatores habet & insidiatores, contra quos difficulter ac laboriose defenditur*.

In hanc sententiam S. August. assertor nuncupati voti virginitalis Mariæ, hæc ait; *Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior & acceptior, quia*

Quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam  
 conseruaret ipse praripuit, sed priusquam conciperetur,  
 iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit, hoc indicant  
 verba quæ sibi factum annuntianti Angelo Maria red-  
 didit; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?  
 Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante  
 vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recu-  
 sabant, desponsata est viro iusto, non violentè ablatu-  
 ro, sed potius contra violentes custodituro, quod illa  
 iam vouerat. Quamquam etiam si hoc solum dixisset,  
 Quomodo fiet istud, nec addidisset, Quoniam virum non  
 cognosco? non quæsisset utique promissum sibi filium,  
 quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsis-  
 set. Hæc August. Latinorum Ecclesiæ Docto-  
 rum facile Princeps, quem & cæteri com-  
 plures sunt secuti.

Luc. 11

E Græcis nobilissimus Theologorum Gre-  
 gorius Nyssenus eadem constanter affirmat,  
 cum ait; Si Maria liberorum causa ducta fuisset à Io-  
 seph; quomodo parituram Angelo prænuntianti, se rem  
 nouam & alienam audire præ se tulisset, cum ipsa  
 quoque sese astrinxisset naturæ legi, ut aliquando Ma-  
 ter esset? Verum quia carnem Deo consecratam, tan-  
 quam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat in-  
 tactam integramque præstare; idcirco, licet, inquit,  
 Angelus sis, licet de celo venias, licet id quod ostendis,  
 naturam superes humanam; tamen me virum cogno-  
 scere nefas est; quomodo sine viro Mater ero? Ioseph enim  
 sponsum noui, sed virum non cognosco. Hæc ille: cui  
 cæteri Græcorum, qui de ea re egerunt, sunt  
 astipulati.

Oratione  
de Christi  
Natiuit.

Hanc autem Virginem, cui hoc proprium  
 est, quod cum fecunditate Matris, virginita-

F.

tis

tis coniunxit honorem, numerosissima Virginum agmina; iam inde à principio secuta sunt, quæ ad illius exemplum suam virginitatem Domino ex fide dicauerunt: voluntatem suam à bono proposito valde labilem hac ratione constringentes, felici quadam necessitate, quæ ad meliora compellit. Quò autem voluntas in bono proposito est constantior, eò melius ac gratius est bonum quod ex ea proficiscitur; sicut & contra in malo; & non solum ipsum bonum opus, sed & potestatem ac libertatem suam Deo offerentes, nempe, ipsam arborem cum fructu; quod melius, quam solum fructum. denique hoc modo etiam ipsam concupiscentiam minucentes: nam *plus ardentem ferunt libidinem*, inquit D. August. *quæ non desperant eius voluptatem. Quæ autem castitatem Deo vouent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est: vnde facilius concupiscentia refranatur, quæ nulla expectatione succenditur.*

August.  
epist. 45.

De bono  
viduit. c. 20.

De habitu  
& discipl.

Quarum Virginum laudes ita expressit D. Cyprian. *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratia spiritualis, lata indoles, laudis & honoris integrum opus, atque incorruptum, Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi; gaudet per illas, atque in illis largiter flores Ecclesia matris gloriosa fecunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addidit, tanto gaudium matris augetur. Ad has loquimur, inquit, has hortamur affectione potius quam potestate; ut quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo deuouerint, opus suum consumment, magno premio destinata. Atque*  
ibidem

ibidem huius virginitatis excellentiam præ conjugali castitate demonstrans; Prima sententia, inquit, crescere & generare præcepit; secunda ad continentiam suavitatem. Cum adhuc rudis mundus & inanis est, copia fecunditatis generante, propagamur & crescimus, ad humani generis augmentum. Cum vero iam refertus & impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur; nec iugam necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitium demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratia premium in cælestibus obtinetis. Ita Cyprian: Quibus illa sunt apud Augustinum similia; Vnde, inquit, magnum, magnæque honoris meritum apud Deum pia & fidelis virginitas habet, nisi quia isto iam tempore continentiam ab amplexu, cum ex omnibus gentibus ad implendum sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido, non sibi vendicat, quod iam sufficiens prolis necessitudo non postulat?

Eiusdem extat præclara laus etiam apud Gentiles. Est hæc sententia Naumachij, Ethnici antiqui, nobilis Poëtæ; Pulchrum sanè est, corpus castum habere, intactamque manere virginem, & puris semper cogitationibus delectari, nec onus circa laboriosa illa gestantem, neque dolores tremens suspiriosos Lucina, sed permanere quasi Reginam imbecillum mulierum, oculum animæ splendidum ad eam vitam erigendo, in qua gloriosa veraque sunt nuptiæ, ubi commixta diuinis verbis, lumine plenas meditationes parit. Et Augustum Imperatorem constat ita

Cypri. ibid. Gen. 1. &amp; 9.

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Matth. 19.

Ioan. 14.

De Gene. ad lit. cap. 7.

Vide Baro. to. 1.

Dio. lib. 56

Dio. li. 26.  
De vita  
Constant.  
lib. 4. c. 26.

simulatum cælibatum grauiſſima oratione & edicto infectatum, vt tamen maxima cum æquitate, eos qui perpetuam colerent virginitatē maximis afficeret præmijs, vt Dio teſtatur. Laudat Conſtantinum Magnum Imperatorem Eusebius, quod ſuſtulerit leges Gentilium, contra infæcundos & cælibes; *Quibus enim, inquit, non ipſorum voluntas, ſed natura imbecillitas liberos denegauit, non ſupplicio, ſed miſericordia digni ſunt; at diuiniore vite amatores, non aliqua pœna afficiendi, verum incredibili admiratione ſuſpiciendi ſunt.*

De S. Virg.  
cap. 8.

Quam autem laudabiliter votum continentię adiungatur, declarat D. Auguſt. his verbis; *Nulla carnis fecunditas ſancta virginitati etiam carnis comparari poteſt. Neque enim & ipſa quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur; ac per hoc ſpiritualis eſt etiam virginitas corporis; quam vouet ac ſeruat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudicè vititur corpore, niſi ſpiritus prius concepta nequitia, ita nemo pudicitiam ſeruat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita caſtitate. Porro autem ſi pudicitia coniugalis, quamuis cuſtodiatur in carne, animo tamen non carni tribuitur, quo præſide atque rectore nulli præter proprium coniugem, caro ipſa miſcetur, quanto magis quantoque honoratus in animi bonis illa continentia numeranda eſt, qua integritas carnis ipſi creatori animæ & corporis vouetur, conſecratur, ſeruetur: hæcenus Auguſtinus.*

Matth. 19.

Hæc eſt illorum Eunuchorum præclara virtus, de quibus in Euangelio ſcriptum eſt, quod ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, quod non ob aliud dicitur, quam quia ſibi met.

metipsis, vouendo, coniugij ineundi adimere potestatem. De quibus & Iſaias, eorum- Iſaix. 56.  
que præmijs magnificis præparatis; *Non dicat, inquit, Eunuchus, Ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint Sabbatham meam, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum & nomen melius à filijs & filiabus, &c.*

De quibus hæc Propheta locutus est, nisi de illis qui seipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum? Nam illis, quibus ipsum virile De S. Virg. cap. 24. 25.  
membrum, inquit August. debilitatur, vt generare non possint; sicut sunt Eunuchi diuitum & Regum, sufficit, vt hic cum Christiani sunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, vt coniuges, si possent, haberent, cæteris in domo Dei coniugatis adæquare: qui prolem licite pudicæque conceptam, in Dei timore nutrent, docentes filios suos; vt ponant in Deo spem suam: non autem meliorem accipere locum, quam est filiorum, atque filiarum. Neque enim vxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Sed qui pro proposito continent, corpusque vsque ad contemptas nuptias castigantes, seipſos non in corpore, sed in concupiscentia radice caſtraverunt, caelestemque & angelicam vitam in terrena mortalitate meditati sunt: his locum gloria denuntiat Propheta in regno Dei sublimiorem cæteris præparatum, vt alios meriti magnitudine superarunt. Aeternam quippe nomen, quod vtique gloriam quandam propriam, excellentemque significat, spadonibus Dei, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum quod eas, quibus datur, distinguit a cæteris.

Apoc. 14.

*Hi sunt, igitur qui cum mulieribus non sunt con-*  
*quinati; virgines enim sunt, & sequuntur agnum quo-*  
*cunque ierit; non solum in humilitate, misericor-*  
*dia, patientia, mansuetudine, &c. in qui-*  
*bus & coniugati boni (licet non tam perfecte*

Aug. ibid.

*ob impedimenta vite secularis) sequi seu imi-*  
*tari possunt, sed & in decore virginitatis, in*  
*qua illi, cum eam amiserint, sequi eum non*  
*possunt: decantantque canticum, quod nemo*  
*potest dicere, nisi illi; Singulariter quippe can-*  
*tum agno cantare est, inquit Gregor. cum eo im-*  
*perpetuum praecunctis fidelibus, etiam de carnis incor-*  
*ruptione gaudere. Quod tamen electi ceteri canticum*  
*audire possunt, licet dicere nequeant; quia per charita-*  
*tem quidem in illorum celsitudine lati sunt, quamvis*  
*ad eorum praemia non assurgant.*

In Past.  
parte 3. ad-  
monit. 29.

Lib. 2.  
Retra. c. 22

Fuerunt olim haeretici, vt Iouinianus, & alij, quibus & nostri temporis similes sunt; qui sacrarum Virginum meritum æquarunt pudicitiae conjugali; eorumque sententiam tantum valuisse in vrbe Roma scribit August. vt nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla praecesserat, deiecisse in nuptias dicerentur. Contra quos D.

Cont. Iouinia. de S. Virginit. Epist. 82.

Hieron. & August. disputat. De quibus etiam D. Ambros. *Audire, inquit, homines, qui dicunt, nullum esse abstinentiae meritum, nullam virginitatis gratiam. parvones astimari pretio Quae istos Epicureos nova schola misit? qui voluptatem praedicent delicias suadeant, castimoniam dicant nullius esse virtutis?*

Ad Philadelph.

Vtriusque status pretium ac dignitatem ostendens D. Ignatius; *Virgines, inquit, subditae estote Christo, in incorruptione, non execrantes nuptias; sed*



*sed meliora diligentes; non in criminatione coniugij, sed propter legis mediationem. Et S. Ambrosi. Iure laudatur bona vxor, sed melius pia virgo praefertur; hac enim cogitat quae Dei sunt, illa quae mundi. Illa conjugilibus vinculis colligata est, hac libera vinculorum. Illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium per quod inuenta est posteritas humana successio; sed melior virginitas, per quam regni caelestis hereditas acquisita, & caelestium meritorum reperta successio, per mulierem cura successit; per virginem salus euenit.*

Epist. 81.

Hinc tantus olim fuit amor castitatis in virginibus, vt diuinitus instigatae, sibiipsis mortem consciscerent, quo insectatores suae pudicitiae deuitarent. Vnde etiam contra eadem castitatis amantissimas, illud indignum erat à Gentilibus excogitatum supplicium, vt interdum Lenonibus traderentur, sicque pudicitiae dispendium parerentur, quod scirent id illis esse acerbius quouis genere tormentorum, ipsaque mortis poenam crudelius. Hinc in eos Tertullian. *Proximè, inquit, ad Lenonem damnando Christianam potius, quam ad Leonem; confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrocioris omni pena & morte reputari. Quam varijs autem modis huiusmodi foeminas praesentissimo amittendae castitatis periculo expositas, à libidine vindicari Christus Dominus earum sponsus, ex earum vitis est clarissimum.*

Euseb. lib. 8  
cap. 24.Amb lib. 3.  
de Virg.In Apologet, cap.  
vlt.

Quantum autem Deo displiceat impedire velle propositum virginale exemplo terribili declarat D. Hieron. *Pratextata, inquit, nobilissima quondam foemina, iubente viro Hymetio, qui parricinus Eustochy Virgini fuit, habitum eius, cultumque*

Epist 7.

mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuid,  
vincere cupiens & virginis propositum, & Matris de-  
siderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis, ve-  
nisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, &  
hac verba frangentem; Tunc es ausa viri imperium  
preferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis  
manibus atrectare? quæ iam nunc crescent, vt sentias  
excruciata quid feceris; & finito quinto mense ad infer-  
na duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & ma-  
rito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem ex-  
pleta sunt, & seram misera pœnitentiam velox si-  
gnauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores  
templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta  
defendit.

Lib. I. de  
Virg. in  
fide.

De alia virgine narrat D. Ambros. Cuius  
animum cum propinqua ad sæculares nuptias  
solicitarerit. Quid, inquit, exquirendis adhuc nu-  
ptijs sollicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo.  
Sponsum offeritis? meliorem reperi. Quasi libet exagge-  
rate diuitias, iactate nobilitatem, predicare potentiam;  
habeo eum cui nemo se comparet; diuitem mundo, po-  
tantem imperio, nobilem calo. Si talem habetis, non re-  
futo optionem; si non reperitis, non prouidetis mihi, sed  
inuidetis. Silentibus cæteris, vnus abruptus; Quid si,  
inquit, pater tuus vsueret, innuptam te mauere pa-  
seretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pie-  
tate: Et ideo sortasse defecit, ne quis impedimentum  
posset adferre. Quod ille responsum de patre, de se  
oraculum maturo sui probauit exitio. Ita cæteri ea-  
dem quisque metuentes, fauere cœperunt, quæ impe-  
dire quærebant.

Ex quibus omnibus videre licet impieta-  
tem hæreticorum nostri temporis, qui vota  
Casti-

Castitatis Deo facta reprobant, eaque impia ac illicita esse affirmant, ne videlicet ipsi cogantur de effræni sua libidine in seipsis formidare, & apud alios erubescere; plurimi enim inter illos castitatem Deo promissam violarunt, & in cæno libidinum turpissimè volutantur. *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, ait Psalmista. Vbi D. August. *Quid tibi dicat* Psalm. 75.  
*Psalmus, attende; non dicit Nolite vouere; sed Vouete* August. in eund. Psalm.  
*& reddite. Quia audisti reddite, non vis vouere? ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrumque fac. Vnum sit ex professione tua; aliud ex Dei adiutorio perficietur.* Et alibi: *Non te pœniteat vouisse, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* Felix, inquam, necessitas, quæ castitatem ad pietatem & cultum Dei ordinat, quæ hominem plenius perfectiusq; Deo subijcit, quæ voluntatem in bono sanctoque proposito roborat ac confirmat, denique quæ faciliorem atque expeditiorem æternæ salutis parandæ adfert rationem.

## MONITVM IX.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

LUC. I.

De Ciuit.  
lib. 14.  
cap. 12.

**V**irtus obedientie, in rationali creatura, mater quodammodo est omnium custosque virtutum, inquit D. August. quandoquidem sic facta est, ut ei subditum esse sit utile; permissum autem suam, non eius a quo creata est, facere voluntatem. Quam virtutem hic sanctissima Virgo declarauit, quando intellecta summi Patris voluntate de concipiendo & pariendo eius filio, sine mora promptam se ad obediendum exhibuit, dicens, *Ecce ancilla Domini*. Et sane oportebat eam valde excellere in obedientia, quæ Euæ inobedientiam erat abolitura; quæ obediens Deum in lucem erat editura, de quo Philipp. 2. Apost. Paulus; *Factus est obediens (Deo Patri) usque ad mortem, mortem autem crucis*. Et D. Lucas Euangelista, de eo; *Erat subditus illis*, videlicet, Christus parentibus. Rogat D. Bernard. *Quis? & Quibus? Deus, hominibus. Magister, discipulis. Patris Sapientia, fabro, & femina.*

Luc. 1.

Philipp. 2.

Luc. 2.

Hom. 1.  
super Miss.

Atque ut intelligatis, quàm utilis fuerit hæc obedientia Virginis, non ei solum, sed & toti humano generi, fructum eius attendite; Qui fuit, mundi salus, seu, ipse Saluator; statim enim ad assensum Virginis, Spiritus Sanctus

ctus omnipotenti suâ virtute, in utero eius ex purissimo eius sanguine carnem animatam effecit, ut iam inde ab initio Conceptionis Dei filius esset homo, membris & mente perfectus. Vnde recte August. *Solus sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis Virgo concepit. Sola nostro vulnere medicinam parere potuit, qua non ex peccati vulnere germen pie prolis emisit.*

Lib. I. de peccat. merit. c. 29. Sermon. 13. de Temp.

Blasphemia fuit Nestorij, qui D. Virginem Dei Genitricem fateri noluit; Quomodo potest Deus ab homine concipi, & nasci? Quomodo potuit fœmina octo verbis Deum in utero suo deducere, eumque utero circumdare? Sed ea blasphemia grauissime punita est, dum lingua prius exesa vermibus quâ locutus erat blasphemiam, & corpore toto putredine consumpto ipse infelicem animam exhalauit. Similis erat blasphemia Constantini Copronymi Imperat. quam & horribiliter puniuit Deus; Morti enim vicinus, in summis cruciatibus clamabat se propter Mariam, quâ blasphemauerat, perpetuis ignibus addictum, tamen si eam deinceps volebat ut Deiparam honorari.

Euagr. lib. I. c. 7. Theodor. lect. in Collecta. Credre. in Theodof. Minore. Niceph. lib. 14. c. 26. Theophanes, & alij.

D. August. loquens de hoc mysterio; *Hic, inquit, si ratio quaritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus tota ratio facti est potentia facientis. Sic & contra eos, qui putabant Deum ita infusum carni, ut vniuersi administrationem vel deseruerit, vel amiserit; vel ad illud corpusculum, quasi con-*

Epist. 3.

Ibidem.

contractam materiam collectamque transtulerit; *Nouit, inquit, Deus vbique totus esse, & nullo contineri loco. Nouit abire, non deserendo, quo venerat. Nouit venire non recedendo, vbierat. Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortasse nec credit.*

Sed nos de Obedientiæ virtute, quam sanctissima Virgo hic ostendit, & qua se totam Deo eiusque voluntati subiecit, agamus pluribus, quibus nos ipsos ad eius imitationem

In Psal. 70. excitemus. Dicit D. August. *Nihil tam expedire anima, quam obedire.* Certe ita laudatum est, ut

1. Reg. 15. dictum sit, *Melior est obedientia, quam victima.*

Neque id de nihilo; quia per victimam aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur, ait

Lib. 35. Gregor. Sic autem necessaria est, ut sine ea  
Moral. c. 10 nihil placeat, quantumuis alioqui clarum videatur. Vnde quamuis sancta Martha actio, &

sanctior Maria contemplatio, pœnitentia, lachryma; ea tamen omnia in Bethania, id est, in domo Obedientiæ, fieri debuerunt, inquit D. Bernard.

In Sermo. ad  
Milites  
Templi.  
cap. 13.

Proprium est Diuinæ sublimitatis nullius ferre imperium, sed cuncta agere proprio

Iren. lib. 3.  
cap. 22.

nutu, ac voluntate. Ea primum Angeli, deinde hominis superbia fuit, tale quiddam sibi

Vid. Lenf.  
de lib.  
Christ.

arrogare; nempe viuere, omniaque agere proprio arbitratu, sibi que ducem esse ad benè beateque viuendum; contemptoque superioris

Lib. 11.  
Ciuit. c. 5.  
Vide in  
Confes.  
lib. 2. c. 6.

imperio, non quod ille iussisset, exequi; sed id sequi potius quod ipsi collibuisse. Nam &

anima, inquit S. August. *in ipsis peccatis suis, non nisi quandam similitudinem Dei, superba & preposterata, & ut ita dicam, seruilis libertate sectantur; ita ut*

primis parētibus persuaderi non posset, pec-

catum,

eatum, nisi diceretur, Eritis sicut Dij. Quæ causa est, ut a veteribus rapere diuinitatem voluisse dicantur; non quod se pari potentia aut sapientia præditos esse aut posse putarint; sed quod subesse nemini, suoque more ad nullius præscriptum vitam agere voluerint; quod est Diuinæ excellentiæ proprium. *Quid enim* (inquit August. loquens de primo homine) *illi deerat, ut tangeret, nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum rumpere delectauit, ut nullo sibi dominante, fieret sicut Deus, quia Deo utique nullus dominatur?*

In Psal. 70.

Quæ si esset naturæ creatæ vel angelicæ, vel humanæ conditio, nulla ei superbia foret, imperium pati nolle, & legum vincula recusare, sed naturæ suæ congruentem expetere & conseruare libertatem. At cum naturam creatam, ipsi, quem effectorem & moderatorem haberet, subiectam atque obedientem esse oportuerit; perspicuum est eam tum sese supra naturæ suæ modum erexisse, & plusquàm capere posset, immoderato excellentiæ amore concupiuisse, cum nullius superioris legibus passus est se contineri. Quo vitio etiam nunc fit, quod in libro Iob dicitur, *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, selibetum nazum putat.*

Vide etiam Bernard. epist. 11.

*Hæc autem superbia, ait Ambros. hominem prima deiecit, quia dum plus volumus, quam appetere par sit: etiam quod minus est, solemus amittere. Vnde iam captiuus homo clamat, Domine quis similis tibi? Et statim cogitans mala, quæ ex hoc libertatis appetitu insurrit, subdit: Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas*

Iob 11.

In Psal. 118  
Serm. 14.Psal. 70.  
& Ibidem  
D. August.

multas

*multas & malas. Quid mihi expedit, nisi esse sub domino? & quomodo ero sub domino, nisi fuero sub precepto? Volui esse peruerse similis tibi, & factus sum similis pecori. Sed homo in honore positus, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Quod non solum propter moriendi necessitatem scriptum est, quam in munguni, id est, genus humanum inuexit inobedientia, ut eam bestiarum in morem pateremur, verum etiam propter vitiosos ac brutos affectus, quibus ad pecorum similitudinem, quæ natura prona ventrique obedientia finxit, seruire homo cœpit; ut iam hoc videlicet, audire debeamus, quod de Psalmo resonat; Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; In chamo & frano maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Psalm. 31.

Eam ob rem diuinæ literæ deprauatum vitij hominem, crebro non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem fœminis, aut vulpeculam, aut iumentum, feramve aliquam belluam vocare consueuerunt. Atque hinc omnino iuxta Salomonis sententiam vnus exitus homini & iumento *Quidni enim, ait S. Bern. similiter exeat, qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirum si similem sortiatur exitum, qui & similem habeamus introitum? Vnde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperatis ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Itaque homo in conceptu, & ortu, in vita & morte comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Quid? quod libera creatura, inquit, sibi subditum appetitum*

Eccles. 3.  
Serm. 82.  
in Cânt.



*non regit vt Domina, sed sequitur & obsequitur vt ancilla? nonne & in hoc se a similes & annumerat ceteris animantibus, qua natura non in libertatem vocauit, sed condidit in seruitutem, suo vt ventri & appetitui obedirent?*

Hoc ergo superbiam vitium, cum nos de tantæ felicitatis, tantoque honoris loco præcipientes egisset, ruina hac iacuissemus oppressi, nisi e cælo Dei filius admirabili dignatione ad nos se te demisisset, qui exolueret, quæ non rapuerat; & nostram superbiam sua humilitate curaret. Quod enim ad ipsum attinet, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, cum hoc vsque ad eum ab eo non esset alienum, vt ei per naturam conueniret. Atque idem ille tamen nostræ libertatis terminans modum, ac superbiam tumorem fanans, dicit se de cælo descendisse, *non vt suam, sed vt Patris faceret voluntatem. Et, Meus cibus est, inquit, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quâ virtute etiam illam quam sibi in Matrem delegit, cumulatissime ornauit, ita vt auditâ Dei voluntate, statim responderet; *Ecce ancilla Domini; paratissima ad exequendum, quæcunque Diuina Mæstas iusserit.*

Ac omnibus generatim Christus Dominus diligenter præcepit, seipsum abnegare; quo significatur, quod quisque debeat suam voluntatem, quam secundum seipsum, id est, secundum carnem habet, relinquere; vt sequatur voluntatem Dei. *Quid enim odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem?* inquit D. Bern. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Et quisquam

Psalm. 68.

Philip. 2.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Luc. 1.

Matth. 16.

Serm. 3. de  
Resurr.

quam nostrum hoc poscet, ut à voluntate Dei facienda sit immunis? Ecce autem (ait Cicero, citatus à D. August.) alij non Philosophi quidem, sed tamen ad disputandum prompti, omnes autem esse beatos, qui viuunt, ut ipsi velint, falsum id quidem Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserimum; nec tam miserum est adipisci quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. Quid tibi videntur hæc verba, inquit August. nonne ab ipsa Veritate per quemlibet hominem dicta sunt? Idem Cicero dicit; In legibus Reipublica vinculum, & libertatis fundamentum constitutum esse. Denique, ait, omnes legum serui sumus, ut liberi esse possimus? Hoc si Gentilius dixit, non erubescet dicere Christianus, In libertatem à Christo vocatus sum, faciam quod volo? Ita sanè clamant hæretici, Velamen habentes malitia libertatem, ut D. Petrus; Et, libertatem in occasionem dantes carnis, ut S. Paulus ait.

Erant enim etiam tempore Apostolorum, ut author est August. qui putauerunt hoc esse libere viuere, ut tanquam de tanta redemptione securi, quidquid liberet, licere sibi arbitrarentur. Non attendentes, hoc nouum Testamentum esse, Faciam ut in præceptis meis ambuletis, &c. neque id per Christum sic esse impletum intelligentes, ut de peccato damnerit peccatum, quo iustificatio legis impleretur in nobis. Neque intuentes, inquit August. quod dictum est ab Apostolo Paulo. Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasione detis carnis. Et quod ait Petrus; Quasi liberi, non quasi velamen malitia habentes libertatem, sed sicut serui Dei. Populum Christianum vocat idem Petrus, Regale sacerdotium, seu,

Apud Aug.  
epist. 121.  
cap. 5.

Pro Clu-  
entio.

1. Petri 2.

Galat. 5.  
De fide &  
operib. cap.  
24. & 23.

Ezech. 36.

Rom. 8.

1. Pet. 2.

ſeu, *Regnū Sacerdotale*; propterea quod regnum Chriſtianorum, non in eo politum ſit, vt nulli ſubſint, vel ſeruiant; ſed Reges ſint obdipſum, quia ſunt Dei ſacerdotes, ſiue quia Deo ſe offerunt, atque ſubijciunt; *Vere etenim Deo ſeruire regnare eſt*, ait D. Proſp. *Et tunc eſt vera pax, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur*, inquit D. Leo. Et Boetij ſententia eſt: *Vnus Dominus, vnus Rex, vnus & Princeps; qui frequentia ciuium, non depulſione latatur. Cuius agi ſrenus, atque obtemperare iuſtitia, ſumma libertas eſt.*

In Epift. ad Demetria.

Serm. 1. de Quadr.

Lib. 1. de Conſol.

prof. 1.

Ideoque pro hac ſeruitute, tanquam pro vera libertate, ſancti omnes aduerſus veterem illam Diaboli & miniſtrorum eius tyrannidem fortiter decertarunt. E quibus vnus MATHATHIAS magna voce; *Eſi omnes*, inquit, *1. Mach. 2*  
*Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnusquiſque a ſeruitute legis Patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius, ego tamen & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum.* Seruitutem quidem ille legis vocat, ſed eam niſi veram eſſe libertatem exiſtimaffet, nunquam pro ea tuenda, relictis bonis omnibus, ſæuiſſimo Regi Antiocho reſtitiffet.

*Vbi ſpiritus Domini*, ait Apoſtolus, *ibi libertas.* 2. Cor. 3.  
*Huius enim ſpiritus dono*, inquit Auguſt. *quo iuſtificamur, ſit in nobis vt non peccare delectet, vbi libertas eſt: ſicut præter hunc ſpiritum peccare delectat, vbi ſeruitus, à cuius operibus abſtinendum, id eſt, ſpiritualiter ſabbathifandum eſt.* Spiritus itaque Sanctus, qui *10. Joh. 3.*  
*vbi vult ſpirat, cuius oculum non excludit cor clauſum,* Lib. 5. Cõf. cap. 1.  
*& manum non repellit duritia hominum, ſed ſoluit eam*

Psalm. 18.

*cum vult, & non est qui se abscondat à calore eius,* Seruitute delectam voluntatem erigit, duplicique constrictam peccati vinculo, solutam & liberam reddit. Namque à cupiditate seculi vitiosoque amore, quo quasi vineta & incuruata tenebatur, correctam immutatamque primum liberat, vt amet veritatis & iustitiæ bonum, quod detestabatur; errorem verò & iniquitatem, quam amabat, excretur; quæ sane *mutatio dexteræ excelsi est;* tum verò contractum ob priores offensas reatum soluit, charitatem infundens, vereque filium Dei & amicum efficiens, qui deinceps Patri cœlesti, eiusque præceptis lubens atque alacris obtemperet.

2. Cor. 3.

Non est ergo quod de spiritu Dei glorientur impij tanquam liberi, quia dixerit Apostolus, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas;* cuius prætextu homines asserunt in hac vita perfectos, & spiritu præditos libertatis, non esse humanæ obnoxios obedientiæ, neque ad vllius Ecclesiastici præcepti obseruationem obstringi; prorsus quid de Scripturis proferant, non intelligentes; ita enim non solum Ecclesiasticas, & Ciuiles, sed etiam Diuinas leges subuerteris. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas; quæ legem,*

Serm. 4. de  
ietu 10.  
mens.

inquit S. Leo, *non timore exequitur, sed amore; obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate feruitur, vbi diligitur, quod iubetur.* Vnde & Cicero ex Gentili Philosophia commode admodum dixit; *Hunc demum liberum esse, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est, qui legibus quidem non propter metumpar-*

In Paradox.

tes,

ter, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare esse  
 proximè indicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat  
 denique, nisi libenter ac liberè.

Quæ cum ita sint, dicat fidelis anima cum  
 sanctissima Virgine, *Ecce ancilla Domini*; dicat Luc. 1.  
Psalm. 117 8.  
ibi, August.  
 homo Christianus cum Dauide Propheta, *Seruus tuus sum ego*: & iure conditionis, & iure  
 redemptionis obstrictus. Neque enim mihi  
 benè cessit, quando voluisse liber meus,  
 non seruus tuus. Da mihi intellectū vt sciam  
 facere videlicet testimonia tua, id est, vt abne-  
 gata voluntate propria, tuam deinceps solius  
 exequar voluntatem, eique me totum sub-  
 mittam. *Nec seipso quippe homo, diuina voluntate  
 contempta, nisi pernitiose vti potest, inquit D. Aug. De Ciuit.  
 utque ita discit, quid intersit, verum inhareat communi lib. 13. c. 2.  
 omnibus bono, an proprio delectetur. Se quippe amans  
 donatur sibi; vt inde timoribus mæroribusque comple-  
 tus, canter in Psalmo ( si tamen mala sua sentit ) Ad  
 meipsum anima mea turbata est; correctusque iam di-  
 cat, Fortitudinem meam ad te custodiam.* Psalm. 41.  
Psalm. 61.  
Psalm. 113.

Alio quodam Psalmo idem Propheta cum  
 gratiarum actione sic gloriatur; *O Domine, quia  
 ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancilla tua.*  
 Eodem titulo velut maximæ dignitatis glo-  
 riabatur Apostolus, sæpè in Epistolis repe-  
 tens; *Paulus seruus Dei. Paulus seruus Christi. Humi-  
 litas quidem est Dei seruum se agnoscere, sed est humi-  
 litas quæ ad eius diminutionem non proficit, sed ad glo-  
 riam. Dignitas enim est seruum esse potentis, inquit  
 D. Ambros. Eodem nomine gloriabatur S.  
 Polycarpus antiquus Ecclesiæ Martyr; cum  
 enim iuberetur negare Christum, in eumque*

Chrysost in  
 cap. 1. ad  
 Rom.

In 1. cap. 1.  
 ad Timot.  
 Euseb. lib 4  
 Hist. c. 15.

In Vita.

conuitia iacere; Respondit; *Octoginta & sex annos illi seruis, nec me vlla in re laesu vnquam; & quomodo possum maledicere Rēgi meo, qui mihi salutem dedit?* Sanctæ Agathæ, nobili Virgini, cum diceretur à Prætore Quintiano, Nonne te pudet nobili genere natam, humilem & serulem Christianorum vitam agere? respondit ipsa verè ac prudenter; *Multò præstantior est Christiana humilitas & seruitus Regum opibus ac superbia.* Hæc seruitus magnam attulit D. Hilarioni consolationem, cum angeretur in exitu; *Egredere, anima mea, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta fere annis seruisti Christo, & mortem times?*

Hieron in vit. Hilar.

Lib. 9.  
Conf. c. 10.

Lætissima discessit ex hac vita S. Monica mater Augustini, cum filium prius mancipiū vitiorum, deinde non solum Christianum Catholicum, sed & Dei seruum videret. Ita enim ipsa ad filium iam morti vicina; *Fili quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, iam consumpta spe huius seculi. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi præstitit Deus meus; vt te etiam contempta felicitate terrena, seruum eius videam. Quid hic facio?* Concludam Doctrinam hanc sententia Davidis Prophetæ, qua quisque seipsum ad Deo seruiendum, eiusque voluntati, ad exemplum Sanctissimæ Virginis, obsequendum, vehementius excitare debet; *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum: Nam & ipse Deus meus, salutaris meus, susceptor meus, non mouebo amplius.*

Psalm. 61.

MONI-

## MONITVM X.

*Beata quæ credidisti, quoniam perficien-  
tur ea quæ dicta sunt tibi à  
Domino.*

LUC. I.

**I**N Scripturis sacris, duplici ex causa com-  
mendatur fides; Primo, quia firma ac fortis,  
siue quia de mysterijs Religionis, etsi huma-  
num captum superent, recte quis sentit. Sic  
laudatur fides Abrahæ, quod contra spem Rom. 4.  
in spem credidit: contra spem, quam habere  
poterat ex humanis argumentis, in spem, quã  
habebat ex diuinis promissis, credidit Deo Gen. 17.  
dicenti, *Sicut stella cæli, & sicut arena maris, sic eris  
sementium.* De eodem dicitur, quod non confide- Ibidem.  
rauit corpus suum emortuum, nec emortuam vuluam  
Saræ; sed confortatus fide, dedit gloriam Deo, plenissi-  
me sciens, quia quacunque promissit Deus, potens est &  
facere. Non de impari conditione (ex viro e-  
nim & fæmina solennis est partus) sed de se-  
nili ætate, & Saræ sterilitate, mirabilis fuit Sa-  
ræ partus. At Sanctissima Virgo, citò etiam de Ambros.  
impari conditione, Angelo sancto credidit. lib. 2. in  
Luc. in c. 1.  
*Quid enim tam impar, quam Spiritus Sanctus & cor-  
pus: quid tam inauditum, quam Virgo prægnans, con-  
tra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cu-  
ius curior cura est Virgini?*

G 3

Non

Non consideravit Virgo sanctissima, quod natura non habeat, ut sine viri congressu concipiatur proles, ut virgo concipiat, virgo pariat. Non consideravit quod nullus unquam infans de Spiritu sancto esset, & ex natiuitate sua & conceptione totus esset Sanctus. Non consideravit, quod nullus intellectus capere posset, quomodo Deus fieret homo. Non consideravit exiguitatem suam, nec peccata totius generis humani exundantia; apud Gentiles quidem per horribiles idololatrias & spurcicias: apud Iudæos verò per cæcorum Phariseorum falsas traditiones (quibus sana doctrina tantum non erat obruta) & Sacerdotum ambitiones. Hæc omnia quæ videbatur humanæ rationi suadere, non esse vera quæ nuntiavit Gabriel, Deumque peccatis hominum offensum, hominem fieri nolle, non consideravit; *sed confortata est fide; dans gloriam Deo, plenissime sciens*; quod dicebat Angelus, *quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum*. Vnde & à muliere sancto Spiritu repleta meruit audire, *Beata qua credidisti*.

Sed quærat aliquis, cur interrogat. *Quomodo fiet istud, si de facto non dubitat?* D. August. *Questiones per quomodo ex intentione dicit esse discernendas*. Christus docendi causâ interrogavit, *Quomodo Dominus David, esset filius David?* Capharnaitæ autem, sicut & hodie Calvinistæ, interrogant, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* non credentes Deo modum esse, quo rem de qua quærunt, perficiat, Maria interrogavit, sed credens futurum quod

Angc =

Hess. in. Sa-  
lut. Angel.

Luc. 1.

Pup. Num.  
cap. 10.

Matth. 22.  
Ioan. 6.

Luc. 1:



Angelus dixit, ac modum tantum scire cupiens, quo res tanta fieret: præsertim quia eius intererat, eò quod id cum voto virginæ continentia, quod emiserat, pugnare videretur. Nec tantum dum Dei filium concepit, fulgebat fide Maria, sed prorsus per omnem vitam: *Conseruabas enim omnia verba* (vti habet Luc. 2. Euangelium) fide, ea in corde suo pertractans & ruminans, siue quæ ab alijs audierat de filio, siue quæ ipsamet videbat in eò ac experta erat. Et dum discipulis & Iudæis Christus scandalum esset, tempore Passionis, & Crucis, hæc *stabat*, non tantum corpore, sed & Ioan. 19. mente, a fide videlicet, immobilis iuxta crucem Domini; Quæ enim antequam Christum conciperet, didicerat thesaurum suum non in fluxis, terrenisque bonis vel commodis collocare, non mouebatur a fide, per crucem filij, memor illius dicti Gabrielis, *Dabit ei Do-* Luc. 1. *minus Deus sedem David patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vnde nec sollicita fuit, cum alijs mulieribus, Christi sepulchrum accedere, sepultum vngere, resurrectionis eius certissima fide suffulta.

Talis fuit Magorum fides in Christum infantem; non videbant eum imperantem dæmonijs, non mortuos suscitantem, non cæcū visum, claudis gressum, mutis eloquium reformantem; sed infantem, quietum, silentem, inquit D. Leo, De quibus & D. Hilarius, *Quod aliud videbant, aliud intelligebant; aliud* Serm. 7. de Epiph. Lib. 2. de Trinit. *oculis, aliud animo conspiciebant. Pauperem infantuli Matrem videbant, partum a Deo credebant; videbant infantem vagientem, & pannis inuolutum; Deum cre-*  
debant,

*debant, & protestabantur adoratione, & munerum exhibitione.* Talis fuit & Petri fides ab ipso Christo laudata, *Beatus es Simon Bariona, &c.* ex qua ille dixerat, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quem enim videbat in carnis infirmitate ceteris hominibus similem, confitebatur filium Dei æterno Patri æqualem.

**Luc. 23.** Talis fuit & Latronis fides in Crucifixum, quando dixit, *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* *Qua istam fidem exhortatio persuasit? qua doctrina imbuit? quis predicator accendit? Non videbat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen*

**Luc. 23.1**  
**Serm. 2. de**  
**Pass.** *Domnum confitetur & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem, inquit D. Leo.* Talis denique est fides Catholicorum de Eucharistia; Formam panis videmus, carnem Christi esse credimus; vilis nobis apparet elementi species, Dei filium adoramus. Non considerant Catholici quod natura non habeat, vt idem corpus sit in diuersis locis; vt ram magnum corpus sit sub specie tam modici panis; vt accidens subsistat sine suo subiecto; sed firmiter credunt Verbis Dei, *operis verò sui viam atque scientiam illi soli concedentes, vt inquit D. Cyrill.*

**Lib. 4. in**  
**Ioan. c. 13.** *Quid verò Philosophorum scientia, scientiaque præsumptio, magis ineptum esse censeat, magisque ridendum, quam doctrinam Christi, ait D. Prosp. nisi spiritus Dei aspernationem subegeris superbiorum, rationesque illas, quæ ignota virtuti canina facundia repugnabant, gratia suæ virtute destruxerit: Prudenter*

**Coloss 2.**  
**Lib de anima, ut. 1.** *monet Apost. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam.*

*sophiam. Et eleganter Tertullia. Philosophi Patri-  
archæ hæreticorum. Et, De Philosophorum ingenijs  
annis hæresis animatur. D. Hieron. ad Ctesiph.  
Semper, inquit, habui studio, audientibus loqui, quæ  
publicè in Ecclesia didiceram, nec Philosophorum ar-  
gumèta sectari, sed Apostolorum simplicitati acquiescere.  
Omnis infidelus, ait D. Ambros. infirmitatem animi  
patitur, constrictus carnali ratione, ne credat spirituali.  
Arrius dixit, Quis vnquam nouit Patrem, qui  
prior tempore non fuerit filio? hæc carnali  
ratione tenebatur, ne filium Patri coæternum  
crederet. Dicebat Pelagius, Quomodo potest  
peccatum Adæ transire in animam, quæ non  
est ex traduce? ita constrictus tenebatur, ne  
crederet Peccatum originale. Sic Nestorius,  
Quomodo, inquit, Deus natus est ex muliere,  
bimestris, & trimestris; non intelligens quo-  
modo Christus esset filius Dei naturalis. Ra-  
tio carnalis Caluini, Quomodo potest idem  
corpus esse in diuersis locis? sub specie tam  
modici panis? hoc vinculo tenetur, ne reci-  
piat fidem Eucharistiæ. Quibus omnibus di-  
cendum illud D. August. ad Iulia. *Quid qua-  
eritis humana ratione euertere, quod in Dei Sipientia  
non potestis comprehendere? Et quod ait alibi:  
Heu qualibus argumentis omnipotentia Dei contradicit  
humana infirmitas, quam possidet vanitas? Omnis  
humana ratio inscrutabili potentia Dei ce-  
dere debet; nec respiciendum ad impedi-  
menta naturæ, quæ diuinæ virtuti non pos-  
sunt obsistere; sed quod Deus verax sit in ver-  
bis, in factis omnipotens.**

De Petro Abeilardo hæretico ita scribit

Lib. 1. cont.  
Marcio.

D Hieron.  
in epist. ad  
Ctesiph.

In cap. 1.  
1. ad Tim.

Cont. Iul.  
De Ciuit.  
lib. 22. c. 11

Exemp<sup>o</sup> 9.

D. Bern. Dum paratus est de omnibus reddere rationem etiam qua sunt supra rationem, & contra rationem praesumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quicquid ratione non possit attingere? Denique exponere volens illud Sapientis; Qui credit cito, leuis est corde. Cito credere, inquit, est adhibere fidem ante rationem; cum hoc Salomon non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate: Nam illam, qua in Deum est fides, B. Gregarius negat plane habere meritum, si ei humana ratio praebeat experimentum. Laudat autem Apostolos quod ad vnius iussionis vocem, secuti sunt redemptorem. Scit nimirum pro laude dictum, In auditu auris obediuit mihi; Increpatos e regione discipulos, quod tardius credidissent. Denique laudatur Maria quod rationem fide praeuenit, & punitur Zacharias quod fidem ratione tentauit. ita D. Bernard.

Secundo, laudatur fides, quia humilis, siue, quia homo per fidem Dei Maiestatem, suamque vilitatem viuaciter considerans, se humiliat, sibi que vilescit. Sic laudauit Dominus fidem Centurionis, qui tam humiliter credit, vt diceret, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, & eo ipso quo se indignum dixit, praestitit dignum, Quod imitatur Christianus communicans, vt recte monet D. Chrysost. Quando, inquit, corpus Domini & sanguinem manducas & bibis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, tu ergo humilians teipsum dicas, Domine non sum dignus, &c. Laudatur eodem nomine etiam fides Chanaeae, quam Canem appellauerat Dominus, nec ei panem filiorum esse proijciendum respon-

Hom. 26.  
in Euang.Hom. 5. in  
Euang.Matth. 4.  
Psalm. 17.Marci. vi.  
Luc. 1.Aug. serm.  
6. de Verb.  
Domini.Hom. 5. in  
diuers.  
Script.

Matth. 15.

sponderat ; quod illa humiliter accipiens , dixerat: *Ita Domine, nam & catelli edunt, & c. q. d.* August. in Psalm. 58.

Canis sum, panem non peto vt filius, sed micam, vt canis; *suscepit humiliter conuiuium, & accepit beneficium, & quod a siduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit,* inquit August.

De S. Virg. cap. 42.

Luc. 1.

Eandem humilitatem ostendit Virgo Sanctissima, quando suam indignitatem & vilitatem considerans, ait, *Ecce ancilla Domini.* Et, *Respexit humilitatem,* seu potius, vilitatem abiectionem, *ancilla sua, faciens mihi magna,* non quia id ego merita, sed quia *ille potens est, & sanctum nomen eius.* Eiusdem fidei ac humilitatis specimen aliquod dedit Magnus ille Ioannes huiusmodi, qui crebras & insignes de Turcis victorias reportauit; is cum ægrotaret, vt refert Pius II. noluit Dominicum ad se corpus deferri, *indignum esse dicens, serui domum intrare Regem;* sed iussit sese quamuis deficientibus viribus, in Templū vehi, ibique de more Christiano confessus, diuinam Eucharistiam suscepit, atque inter manus sacerdotum Deo animam reddidit. Eiusdem etiam vmbra aliquam habuit Henricus VIII. Angliæ Rex, etsi schismaticus, & caput omnium & causa malorum, quæ regno olim tam Catholico contigerunt; Is cum paulo ante mortē communicaturus (Catholicam enim adhuc de Eucharistia habebat opinionem) de cathedra in qua sedebat, assurgeret, vt flexis genibus corpus Christi adoraret; Sacramentarij autē astantes dicerent; posse Maiestatem suam in ista imbecilli valetudine sedentem, Eucharistiam

Aeneas Silu. in descriptione Europæ cap. 1. & in Hist. Bohe.

ftiam percipere, respondit; *Si me non modo vsque ad terram deicerem, sed & sub ipsam terram submitterem, ne sic quidem satis honoris huic sanctissimo Sacramento mihi viderer delaturus.* Ita scribit Sanderus.

De Schism.  
Anglicano.

Laudatur igitur ab humilitate fides, atque magna prædicatur, maxime si consideratione omnipotentia ac misericordia Diuinæ, spem sedulam, preces deuotas, Deumque præ oculis tantum habeat. De qua fide Saluator; *Putasne cum veneris filius hominis, inueniet fidem super terram?* Et, *Fides tua te saluam fecit.* Et de Centurione, *Non inueni tantam fidem in Israël.* Et ad Apostolos, *Quid timidi estis modica fides: nec non & alio loco; Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceris huic monti Transmigra, & transmigrabit.* Neque enim Centurio, inquit S. Hieron. & *Hæmorrhøissa, in Trinitatis Sacramenta crediderant; quæ postea Apostolis manifestata sunt; ut merito fides harum quæ in mysterio est, laudaretur; sed simplicitas mentis, & Deo suo deuota anima approbata est.* Ex consideratione enim omnipotentia ac misericordia Dei, confidenter ille dixit, *Domine non sum dignus, &c. tantum dic verbo & sanabitur puer meus:* illa autem, *Si tetigero vestimentum eius tantum, salua ero;* hæc est fides quam raro in primo aduentu inuentam Christus pronuntiat; *Non inueni tantam fidem in Israël;* Quam etiam in secundo aduentu raro inueniendam prænuntiat, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem super terram?*

Luc. 18.  
Matth. 9.

Luc. 7.  
Matth. 8.

Luc. 12.

Matth. 17.

Cont. Lucifera.

Matth. 8.  
Matth. 9.

Luc. 18.

Ibidem.

*Ad orationem adfesto, ait idem Hieron. Non orarem, si non crederem: sed si verè crederem, illud cor quo Deus*

Deus

Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, harerem certe trunco crucis, nec prius omitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc vero in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de saxore computo aut abductus turpi cogitatione, etiam qua dictu sunt erubescenda, gero. Vbi est fides? Denique, conueniat vniuscuique cor suum & in omni vita inueniet, quam rarum sit fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloria cupiditatem, nihil ob rumuscule hominum faciat. Neque enim statim quiescunt, Deo ieiunant, aut extendens manum pauperi, Deo fanerat; Vicina sunt vitia virtutibus. Difficile est Deo tantum Iudice esse contentum. ita D. Hieron.

Contra Luciferia.

Mo. sequet.

Quam humilis, & humanæ gloriae fuerit contemptrix D. Virgo, alio sermone demonstrabitur. Quam autem Deo fuerit deuota, quam firma spe, quam assidua in oratione & gratiarum actione, quam feruens in dilectione, quis explicet? Ex paucis quæ scripta sunt, cætera coniectare possumus. Reges & iusti in veteri testamento valdè desiderarunt, & sperarunt aduentum Christi; vnde voces piorum: *Vtinam dirumperes calos & descenderes. Rorate celi desuper, & nubes pluant iustum. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Multò magis hæc Virgo; vnde eius oratio, quando Angelus incarnationem filij Dei in ea peragendam declarauit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Inuenit eam solam in penetralibus Gabriel Angelus, vtique orationibus, aliisque diuinis rebus intentam.

Isai. 44.

Psal. 84.

Luc. 1.

Festina

Ibidem.

Festina ad Elisabeth iuisse describitur, quia propter orationis studium fugiebat publicum, diligebat secretum; sciens ipsam solitudinem ac silentium magna cogitationum esse incitamenta. Cum Elisabeth quid aliud totis tribus mensibus egit, quam Dei beneficia suaviter ac deuote recolere? Et de ea aliquoties in Euangelio dicitur, quod *conseruabat omnia verba hæc, & conferebat in corde suo.* Conferebat, inquam, primo, quia animo ea diligenter pertractabat, deuote contemplantur, atque instar mundi animalis, ruminabat. Deinde,

Luc. 2.

*Quia sciebat Scripturas, ut ait V. Beda, conferebat secum ea quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino, cum ijs quæ sunt acta de Domino; & collata adinuicem instar cælestium Cherubin, sociæ sui vultus luce concordia cognouit.* Quantam verò deuotionē, quantam in Deum spem, quantumq; Dei aniorē, ex continua huiusmodi contemplatione Dei & hominis Maria conceperit, conijcere potest is, qui nouit, quantum etiam in peccatoribus valeat consideratio Dei incarnati, inter homines versantis, & propter eos morientis, ut erga Deum deuotio excitetur, spes erigatur, amor inflammetur?

In cap. 2.  
Lucæ.

Ut finem faciam; sit fides nostra, ad exemplum Sanctiss. Virginis, humilis, considerando Dei Maiestatem, & nostram vilitatē,

1. Petri 5. *ut humiliantes nos sub potenti manu Dei, exaltemur in tempore uisitationis; sit etiam firma ac fortis, tamen si rationem superent quæ credenda proponuntur, quia illa est laus fidei, inq. D. August.*

Sent. 260.

*non visa credere; premium eris, intelligere, ac crediturum*



rum possessione gaudere. Et iterum : Fides eorum qui Sent. 3 67,  
Deum visuri sunt, quod non videt, credit : nam si videt,  
non est fides ; credenti colligitur meritum, videnti reddi-  
tur pramium.

## MONITVM XI.

*Exurgens Maria abiit in montana cum  
festinatione, & salutavit  
Elisabeth.*

Luc. 1.

**D**vplex est humilitatis ratio, inquit D. Prosp. In Epist. ad  
Demetr.  
Una in confessione est gratia Dei, de qua mo-  
nito sequenti ; Altera in communis vita versatur  
officijs, quibus & Diuina clementia conciliatur, & so-  
cietas humana connectitur ; quando iuxta doctrinam  
Apostoli, alter alterum superiorem existimantes, se in-  
uicem homines honore & obsequio praeueniunt. Quam  
Philip 2.  
Rom. 12  
humilitatem hic Sanctissima Virgo ostendit,  
cum Deo iam foeta, ad Elisabeth cognatam,  
ei congratulatura & obsecutura properat, Ambros.  
lib. 2. in  
Lucam.  
non eam a publico virginittis pudore ; non à studio, a-  
speritate montium, non ab officio, prolixitate itineris  
retardante ; & quae propter officium venerat, quasi tri-  
bus mentibus officio inhaerens.

Properat ergo Maria ad Elisabeth, junior  
quidem ætate ad seniore, docens iuniores hono-  
rem deferre senioribus, vt D. Ambros. monet ; Lib. 2. in  
Luc.  
qui etiam alibi eius virtutes enumerās ; hanc Lib de  
etiam recitat, Assurgere maioribus natu ; attamen Virginib.  
digni-

dignitate superior ad inferiorē, vt idem Ambrosius notat. 1. Virgo inuiolata ad mulierem corruptam; quis autem nesciat, Virgines reliquis fæminis semper fuisse prælatas? Apud Romanos quidem *Virginibus Vestalibus*, vt refert D. Hieron. *Consul, Imperator, & omni dignitatis gradus, de via cedere solitus est*; Eisdem curribus tuorum Triumphantium infedisse, noxios forte obuios, & ad supplicium condemnatos liberasse, legumque & Capitalis sententiæ vim fregisse, sola virginittatis Maiestate comperimus.

Apud Christianos verò in quanto semper honore ac pretio fuerint, Patres testantur; *Virgines serua*, inquit Martyr Ignat. *vt pretiosa Christi monilia*. Et. *Eas quæ in perpetua virginittate degunt, in pretio habere, velut Christi Sacerdotes*. De iisdem loquens D. Cyprian. *Flos est ille, inquit, Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Domini*. Et D. Hieron. *Flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, virginum chorus est*. Et ad Eustochium virginem, *Nolo, inquit, habeas consortia Matronarum, nolo ad nobilium domos accedas. Disce in hac parte superbiam sanctam: Scito te illis esse meliorem*.

2. Mater Dei abt̄ ad Matrem hominis; hinc enim ab angelo plena gratia salutatur, quia vt D. August. *sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratia repletetur authore*. Dicitur etiam *benedicta inter mulieres*; benedictio autem mulierum est, vt filios pariant, sed quæ magnam habeat maledictionem coniunctam,

Lib. 1. in  
Iouinia.  
Vide Pe-  
trarch. li. 2.  
cap. 21. de  
Rem. V.  
Fort.

In epist. ad  
Heron.

Epist. 13.  
De hab.  
Virg.

In epist. ad  
Marcel.

Hieron. ad  
Eustoch.

Ench. 37.

mundam, cum non sine pudenda libidine, & corruptione concipiant, nec sine graui dolore pariant, peccatores, irā filios, ac aeternae damnationi obnoxios; Maria autem sine omni libidine, sine corruptione, sine vilo dolore peperit filium ab omni peccati sorde remotissimum, & peccatorum Salvatorem. *Quomodo enim in alijs peccatum destrueret, si ipse peccato subiaceret?* inquit August. *& quomodo interuenire posset pro seruis, astrictus legibus seruitutis?*

3. Properat ab omni peccato integra, ad illam quae peccatis erat obnoxia; *Veni*, inquit D. Ambros. in persona Prophetæ desiderans aduentum Salvatoris, loquens; *Veni & quære ouem tuam, iam non per seruos, non per mercenarios, sed per te ipsum; suscipe me in carne, qua in adam lapsa est; suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, & incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam, ab omni negra labe peccati.* Testis quoque D. August. immunitatis eius ab omni peccato: qui de ratura & gratia, proferens viros fœminasque sanctissimas, omnes docet fuisse peccatores, excepta hac Virgine, de qua propter honorem Domini (inquit) nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; *Inde enim scimus, quod plus gratia collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem instat nullum habuisse peccatum.* Testis denique D. Berni qui quærens cur in Euangelio de Martha & Magdalena, nulla fiat mentio Lari? Respondet; *Virginalem domum intelligi vons spiritus Sanctus, filius non incongrue penitentiam, & malū vique comitatur. Absit enim vt proprij quid-*

Ench. 108.  
De Trinit.  
li. 13. c. 18.  
Emiss. ho.  
6. de Pasch.

In Psal. 118

Lib. de Nat.  
& grat.  
cap. 36.

Serm. 2. de  
Assumpt.

H

quam

quam inquinamenti, domus hac aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur, Iunior ergo aetate accessit ienorem, sed superior dignitate ad inferiorem, ei de dono a Domino collato congratulatura, ac ieni & prægnanti obsequium præstitura. Sublimioribus etiam virtutem humilitatis commendans; quam in ea ipsa Elisabeth admirans, ait: Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?

Luc. 1.

Quam humilitatis rationem, D. Virginem,

Math. 1.

Luc. 1.

per omnem vitam tenuisse, aliquot Scripturarum exemplis demonstrandum. Ad hanc enim pertinet, quod Virgo illustri fabro desponsari, subijci, ac ab eo gubernari non recusat;

Ephes. 5.

sciens *virum caput esse mulieris*, eamque proinde in omnibus obedientem se illi ac morigeram præbere debere. Quod si omnes

1. Petri 3.

in Matrimonio constitutæ imitarentur, æquabilis sane atque tranquillius sese res conjugales haberet, nec tot contentionibus & litibus pax domestica turbaretur. D. Petrus ostendens, in quo præcipuus sit mulierum ornatus; sic, inquit, *aliquando & sancta mulieres ornabant se. Sed quomodo? subiecta proprijs viris.*

Genes. 18.

istud ornamentum earum, subiectio, humilitas, obedientia. Sicut Sara obediebat Abraha Dominum eum vocans; ex maxima, scilicet, reuerentia, caput eum & rectorem suum agnosens. Sic & Monica se erga maritum gessit,

Lib. 1. Cõf.  
cap. 11. li. 9.  
cap. 9.

et si ferocem ac infidelem; Illa inquit August. eius filius, *satagebat, ut tu mihi Pater esses, Deus meus, potius quam ille, & in hoc adiunxerat eam ut superares*

*peraret virum, cui, veluti Domino melior seruebat; quia  
& in hoc tibi utique id iubenti seruebat. Maritum ha-  
bere Dominum, meruit mulieris non natura, sed culpa;*  
ait idem August. quod tamen nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa.

De Gen. ad  
lit. lib. 11.  
cap. 27.

Ad eandem pertinebat humilitatem, quod laborare manibus non renuerit. Verisimile enim est, teste D. Basil. cum ambo Maria & Ioseph homines essent iustitia ac pietatis cultores, tennes tamen, neque necessarijs ad viuendum copijs satis instructi (quod ex præsepi intelligi potest, in quo venerabilis illa focus est factum) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione sibi quotidianum victum quarerare. Porro Iesus cum his (vt diuina litera prædicant) esset subiectus, sine dubio, & in perferendis vna cum eis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam: Vnde & apud Euangelistam, non solum filius fabri, sed & faber appellatus est.

De Const.  
Mbn. ca 3.

Matth. 13.  
Marc. 6.

Pater ille in vitio est, inquit Iustinus Martyr, vt vereamur, si ipsi manibus nostris opus fecerimus, ne quis nos miseros, & auxilio destitutos esse suspicetur.

De vita  
Christiana.

Vnde & in Concilijs suadetur ipsis clericis rurale opus & alia artificiola, quibus victum sibi, ac vestimentum præparent. Et Aegyptiorum Monasteria, teste D.

Cōe. Agat.  
cap. 36.  
Carth. 4.  
cap. 51. 52.  
In epist. ad  
Russic.

Hieron. hunc morem tenebant, vt nullum absque operis labore susciperent, non tam propter victus necessitatem, quam propter anima salutem. Imò apud Iudæos communis quædam lex præscripta erat, vt qui sacras literas profiteri vellent, manuale quoddam opificium addiscerent, quo victum quærerent, & ne ad peccandū essent procliuiores. Vnde & Apostolus Paulus sacris literis excultissimus, aliquod opificium

Baron. to. 1

didicit, quod ad victum comparandum, cum Evangelium prædicaret, vbicunque locorum existeret, exercebat.

Hæc Virgo antequam tantum filium pareret, quæ iam ab Angelo & Elisabeth didicerat, ob humilitatis custodiam, nec apud maritum iactabat, ita vt ille videns eam gravidam, suspicaretur adulteram, ideoque ne adulterij fautor videretur, eam dimississet, nisi cælesti oraculo, mysterium edoctus fuisset. Nos sane si quid fortasse boni habemus aut facimus, non humiliter celare, sed ilico apud alios superbe iactare consueuimus, popularis auræ sectantes inanitatem, instar inflati Saulis, qui obtentam à Ionatha filio victoriam, quasi sibi ascribens, ac hominum plausum captans, *Audians*, inquit, *Hebraei*; aut instar superbi Pharisei, qui magno animi fastu virtutes suas commemorans, *Ieiuno*, inquit, *bis in Sabbatho*; *decimas do omnium qua possideo*. Quod vitium etiam à Gentilibus merito improbarur. Laudat hoc nomine Iugurtham Sallustius, *quod plurimum faciebat, minimum verò ipse de se loquebatur*. At vituperatur à Cæsare Ariouistus, *quod ad postulata Cæsaris pauca responderet, de suis virtutibus multa prædicaret*.

Cicero etiam in Tuscul. quæst. *Laudabiliora*, inquit. *mihi videntur omnia, quæ sine venditione, & sine populo teste fiunt; non quo fugiendum sit; omnia enim benefacta in luce se collocari volunt; sed tamen nullum theatrum virtuti maius conscientia est*. Et Plinius ad Saturninum; *Qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, sed vt prædica-*

Matth. 1.

1. Reg. 13.

Luc. 18.

In bello  
Iugurth.

Lib. 1. de  
bel. Gal.

Lib. 3.  
Tul. 9.

Lib. 1. epist.

*dicarent, fecisse creduntur. Sic quod magnificum, alio referente fuisset: ipso qui gessit, recensente vanescit. Homines enim cum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum; si laudanda non files, ipse culparis. Pulchrè etiam Boethius; Qui falso pradicantur, suis ipsi laudibus necesse est erubescant. Quæ si etiam meritis conquesta sint, quid tamen Sapiens adiecerint conscientia, qui bonum suum non populari rumore, sed conscientia veritate metitur? Minuit autem quodammodo se probantis conscientia secretum, quoties ostentando factum, recipit fama pretium.*

Lib. 3. prof.  
6 de con.  
Philos.

Ad hanc quoque spectat humilitatem, quod ipsa sola filio suo, sine obstetrice ac nutrice ministravit, pannis eum inuoluens, reclinans in præsepio, atque exertis vberibus lactis alimenta subministrans. Peccant sane matres, quæ sine iusta necessitate, proprios filios lactare dedignantur; vnde non leuia incommoda subsequi solent. Præterquam enim quod non leue periculum sit, ne alantur negligentius, ob minorem nutricis affectum, quam in matre esse soleat; inde sepe accidit, ut natus infans, vel non viuat, vel debilior viuat, quia lac sugere cogitur naturæ suæ non conforme; qui si eodem corpore, quo est genitus, lactatus esset, & materni corporis calore fatus, robustus euaderet. Inde etiam fit, quod notat D. Ambro. *ut & mater filium, & filius matrem minus amet, utpote, generatione tantum, non etiam lactatione filium se esse cognoscens.* Creditur & in mores lactis permanere contagium, quemadmodum illa seu fabula seu historia

Luc. 2.

Lib. de A-  
braham c. 7

docet, de eo, qui à nutrice lacte caprino partus, semper editiora, more caprarum, petebat; itemque de alio, qui suis lacte nutritus, velut amica luto sus, semper in cæno ac foridibus volutabatur. Certe Suetonius refert, quod Cæsar Tyberius Nero, dictus sit, Biberius Mero, ob nimiam vini auaritatem, vitio nutrice, quæ vini nimis avida erat, eique infans offas vinicias dabat.

Sueton. in  
vita.

Ad inter-  
rog. Aug.  
cap. 10.

*Praua ergo consuetudo, inquit D. Gregor. in conjugatorum moribus effecit, ut mulieres, filios, quos gignunt, nutrire contemnunt, eosque alijs mulieribus ad nutriendum tradant; quod ex causa videlicet incontinentia videtur inuentum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Olim enim mariti ad grauidas aut lactantes foeminas non accedebant. Plutarchus gentilis scriptor, Natura ipsa, ait, demonstrat quod matres filios alere debeant, quæ cunctis animantibus, quæ pariunt, edito foetu, lactis alimenta suppeditauit, & vbera velut fontes scaturientes constituit.*

De educat.  
libero.

Denique hæc Virgo, cum fratribus seu cognatis Domini, iuxta seculum vilibus & abiectis, conuersari non dedignatur; adest sedula & pauperum nuptijs, ubi vinum deficit, eisque in necessitate, sua interpellatione, præsentem opem tulit. Qui despicit pauperem, inquit Sapiens, exprobrat factori eius. Et monet Apostolus omnes Christianos; humilibus ut sint consentientes, id est, abiectis & inferioris fortis hominibus ut se accommodent. Et, Diuitibus præcipit, communicare, id est, beneuolos, amicos, faciles, & absque fastu proximis se præbere, neminem despiciere, ut recte Theophyl. interpretatur.

Prou. 17.

Rom. 12.

1. Tim. 6.

In illum  
locum  
Apost.



tatur. Solent enim diuites propter diuitias tumescere, ac pauperes præ se contemnere, fugere eorum conuersionem, colloquia, conuiuia. Imò Rectoribus huius mundi dicit Sapiens; *Rectorem te posuerunt: noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Et isdem Christus Dominus in Euangelio, *Qui maior est in uobis, dignitate; fiat sicut minor, humilitate, & qui praecessor est, officio; sicut ministrator, obsequio.*

*Quanto magnus es, inquit Sap. humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Mensura humilitatis, inquit D. August. cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est; cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Vetat Apollolus Iacobus, *habere fidem in acceptione personarum;* quod duobus modis fieri, ab eodem August. docetur; vno, quando quis eligit diuitem ad sedem honoris Ecclesie, contempto paupere, instructiore & sanctiore. Altero modo, quando quis ita apud seipsum iudicat, vt ei tamò sit melior, quanto alio ditior esse videtur. Absit vt in tabernaculo Domini, præ pauperibus accipiamur persona diuitem, aut præ ignobilibus nobiles, quando potius infirma mundi elegit Deus; vt D. Paulus ait. Et D. Iacobus Nonne Deus elegit pauperes in hoc seculo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhortastis pauperem.

Eccl. 32.

Luc. 22.

Eccl. 3.

De S. Virg. cap. 31.

Iac. 2 Epist. 29.

Lib. 8. Conf. c. 4.

1. Cor. 1.

Iac. 2.

Hieron. ad Celant.

De eadem humilitate præclare D. Hieron. ad Celantiam nobilem Matronam; *Nulli, inquit, te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque & humiliore loco natas; te inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum.*

lorum, Seruum & nobilem de moribus pronuntias; sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilissimum Petrus? qui piscator & pauper fuit? Quid in feminis beata Maria illustrissimum? qua sponsa fabri describitur? sed illi piscatori & pauperi caelestis regni a Christo traduntur claves; haec sponsa fabri meruit esse Mater illius, a quo ipsa claves datae sunt. Elegit enim Deus ignobilia, & contemptibilia huius mundi, ut potentes & nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Caritas, inquit Apostolus, non est ambitiosa, seu, ut legit D. Chrysost. fastidiosa, id est, neminem fastidit, nullum despicit, etiam miseros ac miserabiles, pauperes & debiles, pannis annisque obsitos, amat, fouet, complectitur. De D. Virgine dicit Ambrosius. Quando illa fastidiuit humilem, quando derisit debilem, quando vitauit inopem?

Math. 13.  
Math. 1.  
1. Cor. 1.  
1. Cor. 13.  
Chrylibid.  
Lib. 2. de  
Virg.

Vide Mar-  
tyr. Rom.

Produnt historiae de Gallicano, viro Consulari, Triumphalibus infulis sublimato, & Constantino, cuius & gener erat, admodum charo, quod ad Ostia Tyberina secedens, hospitalitati & infirmorum seruitio totum se dedit: cuius rei fama toto orbe diuulgata, multi illuc undique venientes, videbant virum ex Patritio & Consule lauantiem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cetera pietatis officia exhibentem. De Sanctissima femina Placilla Imperatrice, uxore magni Theodosii Imperatoris scribit Theodoret. Non Imperatorio Principatu se insolenter extulit, sed diuinum quo flagrabat desiderium,

Lib. 5. hist.  
cap. 18.

91777

ium, angere studuit. Ad eos subleuandos, qui mutilata  
 corpora, membraque omnia labefactata haberent, nihil  
non diligentia & cura adhibuit, atque ad eam rem, non  
eruatorum, seu stipatorum opera vfa est, sed illa ipsa hoc  
ungi ministerio, adire eorum hospitia, & singulis ne-  
cessaria suppeditare voluit. Similiter quoque Ecclesia-  
rum hospitia visere, agrotis in lecto decumbentibus cu-  
rationem adhibere, tractare ollas, iusculum gustare, pa-  
nam illis deferre, frangere panem, offas porrigere,  
uere pocula, omnia denique alia munia obire, que  
ruui & ancilla exequi solent.

De Fabiolanobili Romana narrat D. Hie-  
 on. quod prima omnium Nosocomium instituit, in  
40 agrotantes colligeret de plateis, & consumpta lan-  
guoribus: atque in adia miserorum membra foueret.  
 Describam ego nunc diuersas hominum calamitates,  
 uucas nates, effossos oculos, semiustos pedes, luridas  
 manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia,  
 & de exesit ac putridis carnibus vermiculos bullientes?  
quoties morbo regio & pedore confectos, humeris sua  
sa portauit? quoties lauit purulentam vulnereum sa-  
em, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos  
propria manu; & spirans cadauer sorbitiunculis irriga-  
et. Scio multos diuites & religiosos, ob stomachi an-  
gstiam, exercere huiusmodi misericordiam per aliena  
misteria, & clementes esse pecunia, non manu; quos  
uidevi non reprobis, & teneritudinem animi, nequa-  
quam interpretor infidelitatem; sed sicuti imbecillitati  
machi veniam tribuo, sic perfecta mentis ardorem  
calum laudibus fero. Magna fides ista contemnit.

Postremo vt alia exempla omittam, supra  
 odum admirabilis humilitas sanctissimæ  
 uirginis Mariæ lucet in hoc, quod crucem Ioan. 19.

H 5 filij

In Epitaph  
 eius.

filij sui, qua nil contumeliosius, omnia eius vulnera, quibus nil acerbius, totamque ignominiam filio illatam, qua nil contemptius, coram videre, & omnia impropria impropertantium ei, coram audire iustinuit, quibus omnium hominum nequissimus ac sceleratissimus esse significabatur. Quæ omnia etiam ad ipsam pertinebant, & in ipsam redundabant, quia Mater erat talia ac tanta patientis Christi. Sicut enim ait Sapiens; *Gloria hominis ex honore parentis, & dedecus filij parens sine honore;* ita non absurde dici potest, *Gloria parentis ex honore filij, & dedecus parentis filius sine honore.*

Eccles. 3.

Philip. 2.  
Rom. 12.Prosp. ad  
Demetr.

Quæ cum ita sint, amplectamur hanc Beatiff. Virginis humilitatem, quæ in communis vitæ versatur officijs, & alter alterum existimantes superiorem, honore & obsequio inuicem præueniamus. Ita enim fiet, vt ament seruire subiecti, nesciant tumere Prælati; vt pauper diuitem sibi non dubitet anteferre, & diues pauperem sibi gaudeat æquare: vt sublimes non superbiant de claritate profapiæ, & pauperes non extollantur de communionē naturæ; vt non plus tribuatur magnis opibus, quam bonis moribus; nec maior ducatur phalerata iniquorum potentia, quam rectorum in honora iustitia; Denique nullum erit de gradu superiore certamen; nec felicitas aut inflabit propria, aut vret aliena, sed summa inter nos degentes animorū consensione in terris, merebimur pacem æternæ beatitudinis in cælis.

MONITA

## MONITVM XII.

*Magnificat anima mea Dominum. Et  
exultauit spiritus meus in Deo  
salutari meo.*

LUC. I.

**D**E altera nunc humilitate differendum,  
quæ in confessione est gratia Dei, de cuius hoc pri-  
um munere est, inquit D. Prosp. vt auxilium ip- Ad Deme-  
us sentiat; propter quod dicit Apostolus; Nos autem tria.  
in spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui 1. Cor. 2.  
Deo est, vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis,  
est, interprete D. Augustino; vt intelligamus, In Psal. 62.  
hæc nos boni habere potuisse, nisi illo donante, a quo  
nt omnia bona. Vnde si quis est, qui aliqua se existi-  
at habere bona, quorum non Deus largitor sit, sed  
se sibi author existat, mundi spiritum habet, non Dei.  
na superbia nil nocentius, nihilque magis fugien-  
m, quæ virtutem diuini negat operis, amore propria  
gnitatis. Quæ autem & quanta secum mala  
damna adferat, vtile, imò necessarium erit  
telligere, vt quisque tantò diligentius, ab  
la sibi peste possit cauere.

Inprimis enim impedit hæc superbia ini-  
um iustitiæ seu conuersionis; Ignorantes enim Rom. 10.  
sitiã Dei, inquit Apostolus, id est, quam Vide Aug.  
eus dat; & suam querentes statuerè, id est, suo de grat. &  
lius libero arbitrio fabricare, iustitiã Dei non lib. arb. cap.  
ni subiecti, id est, iustitiã Dei non assequun- 12. Cont.  
tur. 2. epist. Pe-  
lag li. 3. c. 7

**Ierem. 17.** tur. Vnde & Ierem. Propheta; *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius; erit enim quasi myrica in deserto, & inhabitabit in siccitate, in deserto, in terra falsuginis & inhabitabilis.* Pulchre D. Prosp.

**Ad Deme-  
triad.**

*A quibuslibet lapsibus delictorum, facile surgitur, quando opem à suo reparatae postulat elisus; huius autem ruina nihil subuenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur, nec unquam ibi proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina.*

**De nat. &  
grat. c. 52.**

**Serm. 27.  
de Verb.  
Domini.**

Deinde impedit etiam iustitiae, seu vitae spiritualis profectum; *Nem enim ob aliud meretur homo ampliora, inquit D. August. nisi pie fideliterque sciendo, à quo sibi bona sunt omnia.* De D. Magdalena sedente ad pedes Domini, ita idem August. *Quanto humiliter sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denat. de tumoribus collis.* Atque haec est causa, cur ipse August. tantis à Deo muneribus fuerit ornatus, uti D. Prosp. de eo, hoc carmine testatur;

**In Carm.  
de Ingrat.**

*Augustinus erat, quem Christi gratia cornu  
Kberior erigans, nostro lumen dedit auo,  
Accensum vero de lumine, nam cibus illi,  
Et vita & requies Deus est, omnisque voluptas,  
Vnus amor Christi est, vnus Christi est honor illi,  
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi  
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.*

**Ifai. 40.**

*Qui sperant in Domino, ait Isaias Propheta, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas sicut aquila, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

**Ierem. 17.**

*Et Ieremias, Benedictus vir qui confidit in Domino,  
& erit*

erit Dominus fiducia eius; & erit quasi lignum quod  
 insplantatur super aquas, quod ad humorem mittit  
 dices suas, & non timebit, cum venerit aestus; & erit  
 lium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solli-  
 tum, nec aliquando desinet facere fructum.

Denique & omnem iustitiam quam habet  
 omo, penitus subuertit: Cum enim alia vi-  
 ta, ea tantum bona, quibus aduersantur, im-  
 ninuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul  
 niuersa corrumpit. Sic D. Greg. in Moralib.  
 alia vitia, inquit, eas solummodo virtutes impetunt,  
 quibus ipsa destruuntur, vt, videlicet, ira patientiam,  
 & astringit abstinenciam, libido continentiam, ex-  
 pugnat; Superbia autem nequaquam vnus virtutis ex-  
 tinctione contenta, contra cuncta anima membra se-  
 erigit, & quasi generalis & pestifer morbus, corpus o-  
 mne corrumpit, Similiter D. Chrysoit. Subducta  
 humilitate, etiamsi ad ipsum vsque cælum conuersa-  
 tionis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahun-  
 tur, atque in finem pessimum relabuntur. Etenim siue  
 orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pu-  
 dicitiam, siue aliud quid bonum sine humilitate congre-  
 ges, statim cuncta desluunt, cunctaque depereunt. Aut  
 enim superbia repente in scelera maxima sæ-  
 pe præcipitat, aut hac saltem grauissima peste  
 necat, quod bonorum operum fructum in-  
 tercipit. Vnde & D. Basil. eam appellat, Vir-  
 ratum lineam, latronem opum spiritualium, blandum  
 animarum hostem. Nisi enim humilitas, ait S. August.  
 omnia quæcunque bene facimus, & præcesseris, & co-  
 mitetur, & consequuta fueris: & proposita, quam in-  
 tueamur; & apposita, cui adhareamus; & imposita,  
 qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gau-  
 dentibus,

Lib. 34.  
 cap. 18.

Hom. 15.  
 in Matth.

In Const.  
 Mon. c. 11.

Epist. 56.

Sent. 31.  
apud Prosp.

dentibus, totum extorquet de manu superbia. Et in-  
sententijs; Ad caelestis Ierusalem non ascendunt con-  
sortium, nisi qui toto corde profitentur, non proprii ope-  
ris, sed divini esse muneris, quod ascendunt.

Luc. 1.  
Lib. 2. in  
Luc.

Huic autem superbix malo firmissimum  
bonum humilitatis occurrit, quæ per omnia  
Deo subditur, & causas atque meritorum pro-  
uectus, non in se, sed in suo auctore constituit.  
Quam humilitatem in D. Virgine Maria fu-  
isse, ex Evangelio perspicue intelligitur. Quã-  
do enim ab angelo didicerat, quod obum-  
bratione Spiritus sancti filium Dei concipe-  
ret, & pareret, summa animi demissione, Ecce,  
inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum  
tuum. Videbamilitatem; ait D. Ambros. vide devo-  
tionem; ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur,  
nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam di-  
cendo, nullam sibi prerogativam tantæ gratiæ vendi-  
cauit, quæ faceret, quod iuberetur. Deinde, cum  
Deum concepisse se sciens, magnificas illas  
laudes ab Elisabeth cognata audivisset, Bene-  
dicta tu inter mulieres, & benedictus fructus veneris  
tui; erupit in hanc vocem humilitate plenam:  
Magnificat anima mea Dominum; & exultavit spiri-  
tus, &c. Quicquid enim in aula mentis suæ  
splendidum, quicquid pulchrum, pretiosum-  
que reperiebat, divini muneris & operis esse  
non dubitabat; & in omnibus opulentiæ suæ  
bonis, gratiam donatoris agnoscebat: ideo-  
que non se, sed Dominum magnificabat, cuius-  
que spiritus non in proprijs meritis, sed in  
Dei muneribus exultabat.

Luc. 1.

Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi  
proficit



ficat de uotio, surrepat elatio; & ut homo bono opere in se potius, quam in Domino orietur. Mitto Ethnicos, quorum vnus Aleius in hanc sententiam loquitur; si pulcher es, lauda naturam; si nobilis, lauda parentes; si diues, hoc fortunæ debetur; si uirtute præditus, lauda te ipsum. Et ipse Cicero, uirtutem, inquit, nemo vnquam acceptam Deo retulit; mirum recte: propter uirtutem enim iure laudamur, in uirtute recte gloriamur; quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis haberemus. Taceo Iuæos, qui humana naturæ deprauationem, & corruptionem non agnoscentes, ideoque nec medico ei, nec Saluatore opuseffe, affirmantes; legem se contra morem Patrum, sine fide & gratia Christi suis uiribus & seruare, & seruandam tradere præsumebant, ut docet V. Beda.

In lib. de Deo Socratis.

Lib. 3. de Nat. Deor.

In cap. 11. Lucæ.

Pelagianos hæreticos audite, & maxime ipsum Pelagium tam perniciosæ hæresis auctorem ad Demetriadem Virginem nobilissimam scribentem; quæ humanis nuptiis iam paratis, D. Augustini opera & consilio, spiritalem illius sponsi prætulit amplexum, cui specioso præ filiis hominum, ad habendam spiritus ueriores foecunditatē nec ad amittendam carnis integritatē uirgines nubunt; Pelagius ergo, cum huius uirginis uirtutem ac probitatem commendaret, atque ex ea lethale uenenum animo eius infundere conaretur: *Habes hic, inquit, per que merum præponaris alijs, imo hinc magis; nam corporalis nobilitas atque opulentia, quorum esse intelliguntur, non tua: Spiritu-*

Vide epistolam 143.

Psal. 44.

*Spiritalis vero diuitias, nullus tibi prater te conferre poterit. In hâ ergo iure laudanda, in hâ merito cetera preferenda es, qua nisi ex te, & in te esse non possunt.*

Eadem  
epist. 143.

Quibus ita responder D. August. in epistola ad Iulianam Demetriadis matrem; Cernis quanta in his verbis cauenda pernitescit: Nam utique quod dictam est, non possunt esse ista bona nisi in te, optime & verissime dictum est; iste plane cibus est. Quod veridicè, non nisi ex te, hoc omnino virtus est. Absit ut hæc libenter audiat Virgo Christi, qua p' se intelligit propriam paupertatem cordis humani, & ideo illic nisi sponsi sui donis nescit ornari. Similiter & D. Prosper. ad eandem Virginem iam ætate prouectam scribens; Dignum est, inquit, ut imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra; inde fit compta, dicens; Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Alioqui adulescens est, & à diuino aliena coniugio; si alterius cuiusquam decorem in speculo sui cordis ostendat, aut vllis alijs. modis acquiescit ornari, nisi illis, qua de thesauris sponsi, per sancti spiritus pignus accepit. ita D. Prosper.

Serm. 4. de  
Quadr.

Quanto excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, ne de ipsis probitatis augmentis, mens sibi conscia, & laudis auida, in superbiz rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi clara videtur virtute. Inuidet enim Diabolus virtutum studijs, inq. D. Leo. & ad hoc vim suæ malignitatis armat, ut pietatis laqueos de ipsa pietate pratendat; & quos non potuit deicere per dissidentiam, conatur superare per gloriam. Vicinum est enim rectis actionibus superbia malum, & de proximo semper virtutibus insidiatur elatio; quia difficile est ut laudabiliter

popen.

*iuuentem laus non capiat aliena, nisi vt scriptum est, Quis gloriatur in Domino gloriatur: Haftenus Leo. Nemo superbit de ijs quæ non accepit, vt de sobrietate temulentus, de lenitate sæuus, de castitate impudicus; & inter ipsa vitia aut nulla est, aut rara iactantia, & facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur. Malum superbiæ maxime virtutibus cauendum, quia nullis oportunius insidiatur, quàm quibus laus iusta debetur.*

1. Cor. 10.  
2. Cor. 10.

*Multi seruientes Deo, ait D. Prosper. & in lege eius meditantés die ac nocte, crucifixerunt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt; non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timere terrentem. Tantam itaque firmitatē, tamque sublime propositum, qua impugnatione Diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem; & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio; & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores suis inuenit insidijs. In paradiso namque Ecclesia constitutos, & virtutum delijs abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus in se constituerent, & ad arborem propria voluntatis, manum presumptionis extenderent.*

Eadem  
epist.

Quam eius utilissimam doctrinam D. Augustinus, vna hac breui sententia complexus fuerat: Quo primum vitio superatus est homo, hoc vltimum vincit. Cum enim omnia peccata superauerit, manet periculum, ne mens sibi bene conscia, in se potius quam in Domino gloriatur. Illa quoque inter eius

Sent. 12

Sent. 48. Sententias numeratur; *Omnia vitia in malefactis tantummodo valere, solam superbiam etiam in recte factis cauendam esse*; Nam vt ipse Prosper hoc carmine reddidit;

*Sola est innumeris armata superbia telis,  
Cui possunt vires & benefacta dare.*

Epist. 64. ad Aurel. Quomodo autem quis se inter laudes hominum gerere debeat, ne contaminetur; ita declarat D. August. *Magnum est, de honoribus & laudibus hominum non letari; non autem huius hostis, (laudis videlicet cupiditatis) vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia etsi cuiquam facile est laudē carere, dum denegatur, difficile est eā non delectari, cum offertur; & tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non merito laudemur, corrigamus eos quos possumus; ne arbitrentur in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est; aut ea laudent, quae quamvis non desint nobis, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quae vel cum pecoribus, vel cum impijs hominibus habemus communia. Si autem merito laudemur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum; non tamen nobis quia placemus hominibus; sed si coram Deo sales sumus, quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia, quae vere meritoq; laudantur.*

1. Cor. 4. Quam autem vigilanter contra hanc elationis pestem militauerit Apostolus, audiamus. *Quis enim te discernit?* inquit ad Corinth. *Quod ideo dicit, teste D. August. quia de massa illius perditionis, quae facta est ex Adam, non discernis hominem, vt eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus; sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus, cum audisset, Quis enim te discernit?*

posset

posset respondere, vel voce vel cogitatione, & dicere; Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea; mox occurrit Apostolus cogitationibus eius, & dixit; Quid enim habes, quod non accepisti si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? sic autem gloriantur, quasi non acceperint, qui se à se-  
 1. Cor. 4.  
 ipsis iustificari putant, ac per hoc in semetipsis, non in Domino gloriantur.

Rursum idem Apostolus; Stipendium peccati, Rom. 6.  
 mors; gratia autem Dei vita aeterna. stipendium peccati mors. Rectè stipendium, inquit S. Augustinus, Epist. 103.  
 quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iustitia de humano se extolleret merito bono, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum; non à contrario tetulit, dicens, stipendium iustitiæ, vita aeterna, quanquam hoc verum sit; sed gratia Dei, inquit, vita aeterna; tanquam si diceret; audito. quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere, ò humana, non iustitia, sed nomine iustitiæ plane superbia? quid te disponis extollere & contrariam morti vitam aeternam, tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita aeterna, vera iustitia est; si autem vera iustitia est, ex te non est, de sursum est, descendens à Patre luminum, ut haberes eam; si tamen habes eam, profecto accepisti; quid enim habes, quod non accepisti? quapropter, ò homo, si accepturus es vitam aeternam iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non  
 Iac. 1.  
 Ioa. 1.  
 solum gratiam, qua nunc iuste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine vivamus.

Luc. 1.

Quæ cum ita sint, nemo iam deinceps se ipsum magnificet, etiam si magna faciat; nemo in seipso gloriatur, etiam si gloriosa operetur: sed cum D. Virgine in omnibus suis bonis dicat ex animo; *Magnificat anima mea Dominum, & exaltauit spiritus meus in Deo salutari meo*: de cuius gratia ac munere suscipitur, quicquid in singulis probabile reperitur. Dicant ergo semper, ait Propheta Dauid; *Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Peccator es, magnificetur Dominus, ut voceris: confiteris, magnificetur Dominus, ut ignoscatur; iam iuste viuis magnificetur Dominus, ut regat; perseueras vsque in finem, magnificetur Dominus, ut glorificet.*

Psalm. 69.

In Psalm. 69.

## MONITVM XIII.

*Factum est, ut audiuit salutationem  
Mariæ Elisabeth exultaui infans  
in utero eius.*

Luc. 1.

**B**Eata Elisabeth humiliter de se sentiens, atque ex humilitate dicens, *Vnde hoc mihi ueniat Mater Domini mei ad me? Sanctissimam Virginem Mariam, eiusque filium vehementer extollit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: quod ad vocem salutationis eiusdem Virginis iam Deo plenæ, in utero eius præ gaudio exiliret infans, quem ge-*  
tebat,

rebat, futurus Domini præcurfor: singulari, videlicet, prærogatiua, agnoscens præsentiam & aduentum mundi Saluatoris. *Sancta erat anima B. Ioannis*, inquit Origenes, & adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientia sensum sciebat qua Israel ignorabat. Vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret seruum suum, antequam de matris utero procederet.

Hom. 7. in  
Luc.

Et D. Ambros. *Aures propheta. spiritu Dei, non corporis atate referantur; habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Sic & S. Hieron. *Ioannes Baptista, ad introitum Mariae exultauit & iussit; audiebas enim verba Domini per os Virginis personantis, & de utero Matris in occursum eius gestiebat erumpere.* Denique apud Chrysof. ita Ioannes loquitur; *Video, etsi adhuc in utero sim, gestari in utero solem iustitia. Exclamo, quoniam filium Patris unigenitum considero carue indutum. Exulto, quoniam uniuersi effectorem, video formam hominis suscipere. Exilio, quoniam mundi redemptorem cogito incorporatum.*

Lib. 2. in  
Luc.

In epist.  
ad Laram.

Apud Me-  
taph. mense  
Iunio.

Gerit autem Elilabeth typum Ecclesiæ Catholicæ, in qua dum declaratur, quid filio Dei grauida nobis Virgo attulerit, paruuli, (quales hic omnes sumus comparatione robustæ illius ac virilis ætatis quam percipiemus in futuro seculo; inde enim & Propheta Dauid, & Apostolus Paulus se lactenti paruulo comparant; & Isaias Propheta & Apostolus Petrus, omnes tanquam paruulos vocant ad vbera) paruuli, inquam, Ecclesiæ Matris utero sese continentes, mirabiliter exultant spe veniæ & salutis: & tota Ecclesia indignam se

Psal. 130.  
1. Cor. 13.  
Esaï 60.  
1. Petri 2.

aduentu Christi, Matrisque eius professa, in laudē filij & Matris erumpit, & beatam matrem, quæ tam sublimia fide piâ allēcuta est, prædicare non cessat.

Plurimæ autem sunt Incarnationis & aduentus Christi ex Virgine utilitates & comoda, propter quæ merito exultant filij Ecclesiæ, vtero eius inclusi. (nam ad eos qui foris, vel relicta vera matre, adulteræ iunguntur, ea non pertinent, vt est apud Cyprian.) Imprimis quod per aduentum filij Dei, qui est ipsa Patris Sapientia, fidentius ad veritatem ambulemus. *Cum enim rationalis natura*, inquit August. *vsque adeo refugiat falsitatem, & quantum potest, deuiter errorem vt falli nolint, etiam quicumque amant fallere, quid potuit in vita ista errorum plenissima, homini melius conferri, vt fidentius ambularet ad veritatem, quam quod ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, non Deo consumpto constituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum? Hic est enim Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, per id quod est Mediator est homo & via perueniendi ad Deum; quia si inter eum qui tendit, & illud quo tendit, via media est, spes est perueniendi. Si autem desit aut ignoretur, qua eundum sit, quid prodest nosse, quo eundum sit? sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem sit Deus & homo; quo itur Deus, qua itur homo.*

Quia enim non potuit mūdus nosse Deum, ex magnificentissimo illo opere creationis, quod summa sapientiæ ratione, potentiaque constabat, ipsa sese sapientia conspicuam exhibuit, quo facilius ab ignaris percipi posset.

Hoc

De Vnit.  
Eccles.

Enchirid. 17

De Ciuit.  
lib. 10, c. 2.



Hoc nobis luculenter satis Baruch Propheta Cap. 3.  
 declarat; cum enim antea commemorasset  
 miranda Dei opera, eumque qui ista posset, &  
 faceret, verum esse Deum demonstrasset, ne-  
 que coli alium oportere; volens intelligi no-  
 bis humi repentibus, atque ipsa quoque men-  
 te nimis abiectis, minime ista ad contuendum  
 suffecisse, subiunxit; *Post hac in terris visus est,*  
*& cum hominibus conuersatus est.* Deus ergo ille  
 qui secundum Prophetæ vaticinium; *magnus*  
*est, & non habet finem, excelsus & immensus,* de quo  
 etiam idem Propheta paulò post dicit; *hic est*  
*Deus noster, & non estimabitur alius ad eum, qui ad-*  
*inuenit omnem viam disciplinae, & dedit eam Iacob*  
*puero suo, & Israël dilecto suo;* Ipse, inquam, in  
 forma serui, in qua minoratus est paulò mi-  
 nus ab angelis, tanta se nobis vicinitate con-  
 iunxit, & propinquauit, accessitque, vt inter  
 nos mortales mortalis ipse atque visibilis ver-  
 saretur, *rudiorē* (vt sic dixerim, inq. D. Cyrill.) Lib. 1. in  
Ioan. cap. 9.  
*pietatis cognitionem sensibiliter nobis immittens.*

Luculentissime vero quid humana postu-  
 laret infirmitas, Esaias expressit, dicens; *Non* Isai. 30.  
*faciet Dominus ultra à te auolare Doctorem tuum, &*  
*aures tuas audient verbum post tergum monentis: Hac*  
*est via, ambulatis in ea, & non declinetis neque ad dex-*  
*tram, neque ad sinistram.* Humanum genus, inquit  
 D. Gregor. *Dominus in faciem monuit, quando in* In Past.  
parte. 3.  
adm. 29.  
*Paradiso condito homini, atque libero arbitrio stanti,*  
*quid facere, quidue non facere deberet, indixit: Sed ho-*  
*mo in Dei faciem terga dedit, cum superbiens eius iussa*  
*contempsit; nec tamen superbientem Deus deseruit, qui*  
*ad reuocandum hominem legem dedit, exhortantes an-*

gelos misit, in carne nostra mortalitatis ipse apparuit. Ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratia etiam contemptus vocauit. Hæc Gregor. In natura igitur nostræ simili, planissime quis & qualis esset Deus, ostendit; ac per ea quæ percipi sensibus poterant, adminiculum cæcutientibus, gradumq; infirmis, præbuit ad sublimiora contingenda.

Deinde per Incarnationem Christi & aduentum eius ex Virgine, erigimur in spem; cum enim omnes in miseria constituti, desperatione liberationis fiant miseres, ac peiores; vnde Apostolus de Gentilibus; *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem omnis immunditie, in auaritiam.* Et alibi dicit, *homines timore mortis per omnem vitam obnoxios esse seruis uti peccati & Diaboli.* Vnde est & illa vox impiorum apud Esaiam, & Apostolum; *Manducemus & bibamus cras enim moriemur,* & apud Sapientem; *Exiguum, inquit, & cum radio est tempus vita nostra, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus, tanquam non fuerimus, &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in iuuentute, celeriter. Vinopretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, & cætera quæ sequuntur.*

Cum ergo fiant desperatione miseres ac deteriores, spe vero subleuentur; quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, inquit D. August. *mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam*

Ephes. 4.

Hebr. 2.

Isai. 22. 55.

1. Cor. 15.  
Sapient. 2.Lib. 13. de  
Trinit. c. 10.

quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret: Quid verò huius rei tanto isto inditio manifestius atque praclarus, quam ut Dei filius immutabiliter bonus in se manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens quod non erat, praeter diuina natura sua detrimentum, nostrum dignatus inire consortium, prius sine vlla suo malo merito mala nostra perferret?

Sic & alibi idem August. Cùm omnibus modis medeatur Deus animis, pro temporum oportunitatibus, qua mira Sapiencia eius ordinantur; nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum ipsa Sapiencia Dei, id est, vnicus filius consubstantialis patri & coaeternus, totum hominem suscepit. Ita enim demonstrauit carnalibus, corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura; quod non solum visibiliter, (nam id poterat & in aliquo aethereo corpore, ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato:) sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, qua liberanda. Et ne quis forte sexus, à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex femina. Qui etiam in Confessionibus breuiter ait; Po-

De vera relig. cap. 16.

Lib. 10. cap. 43.

Idem August. de vita instituenda cum socijs deliberans, ita eos alloquitur; Vita haec misera est, mors incerta: si subito obrepit, quomodo hinc exhibimus? Et vbi nobis agenda sunt, qua hic negleximus? An non poius huius negligentia supplicia luenda sunt? Quid si mors ipsa omnem curam, cum sensu amputabit, & finiet? Ergo & hoc quaerendum. Sed absit

Lib. 6. cont. c. 11.

*ut ita sit. Non vacat, non est inane, quod tam eminentis culmen autoritatis Christianae fidei, toto orbe diffunditur. Nunquam tanta & talia pro nobis diuinitus agerentur, si morte corporis etiam vita anima consumeretur. Quid cunctamur igitur relicta spe seculi conferre nos totos ad quarendum Deum, & vitam beatam? ita Augustinus.*

*De Catéch.  
rudib. c. 4.  
Martialis.  
Epistola 9.*

*Ibidem.*

Denique cum totum hominis bonum in amando Deo consistat, consideratione Incarnationis Christi, & aduentus eius, ab amore mundi, qui vitiorum fomes ac minister est, reuocamur ad amorem Dei. Præcipue enim Deus suam erga nos dilectionem in v-nigeniti Incarnatione atque aduentu eius ex Virgine nobis commendauit: *Hoc autem ideo, inquit August. ut ipsum Deum, si amare pigeat, saltem redamare non pigeat. Vix ut ameris? ama. inquit Poeta. Quod seneca Philosophus ait esse efficacissimum amatorium, seu amoris poculū, sine medicamento, sine herba, sine vllius venefica carmine. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, inquit D. August. quam praeuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit & rependere. Operæ pretium est autem animaduertere, quomodo, & quanto amore exardescat inferior cum à superiore se diligi senserit; ibi enim gratior est amor, vbi non æstuat indigentia siccitate, sed vbertate beneficentia profluit. Iam verò si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, si vltro ille dignatus fuerit ostendere quantum diligat eum, qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo iudicante? & quid desperatius homine peccante?*

*Meritò*

Meritò quidem ex consideratione tot specierum ac rerum, quibus vniuersum hoc ad summam hominis & oblectationem & utilitatem instructum est, ex contemplatione tot beneficiorum, quibus sese, suumque erga homines amorem ostendere, sibi que nos deuincire nunquam intermisit, inflammarī debuimus, ad redamandum munificentissimum & optimum Patrem; vti etiam ad cognoscendum eum colendumque; admoneri. A quo quanquam longè nos eramus propter profundam ignorantiam, & innatam atque inueteratam terrenorum cupiditatem; ipse tamen non longè erat ab vnoquoque nostrum, inquit Apóstolus, *dans omnibus vitam & inspirationem, & Actor. 17. omnia; in ipso enim omnes viuimus, mouemur, & sumus.* Sed quotusquisque erat, qui vel hæc consideraret digna attentione, vel eorum contemplatione commotus oculos attolleret in cælum, vt largitori omnium Deo gratias ageret, eumque à quo sic peccator amatur, vicissim amaret?

Erat hoc primi hominis adhuc sani & incorrupti; neque enim ille alio ad diligendum conditorem suum excitamento indigebat. Nostri vero animi pulsari vehementius, propter ignauiam ac torporem debuerunt. Maioribus alijs, iisdemque inusitatis, quoniam iam vsitata consuetudine viluerunt, excitandi fuimus, in amorē conditoris nostri. Ideoque factus est Deus homo, quo nihil potest esse admirabilius; ad nostramque sese ille humilitatem demisit, formam serui accipiens;

quo nihil efficere potuit, aut ad amoris erga nos sui significationem euidentius, aut ad notitiam erga se excitandum vehementius. Recte ergo Apostolus Paulus, hoc tam eminens Incarnationis beneficium, quod Ioannes Baptista, adhuc tenebroso ventris thalamo inclusus, intelligens peractum in utero Virginis, præ lætitia se non capiens, exultat in utero matris, *vocauit magnum pietatis mysterium.*

Mysterium quidem, quia id antea erat incognitum, etsi nunc singularis gratiæ munere manifestatum: nec aliquis id ex se cognoscere potuit, sed is tantum, cui Deus reuelare voluit, sicut idem Apostolus ait, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Imò fidelibus adhuc mysterium est incarnatio Domini; *Omnia enim miracula, ait D. Leo, omnemque intelligentiarationem excedit; & de ea etiam scriptum est, Generationem eius quis enarrabit?*

Magnum porro mysterium dicitur; Huic enim limo terreno, ex quo formati sumus, Dominus Deus, inquit D. Bernard. primo vim vitalem miscuit, ut in arboribus; vnde surgit venustas in folijs, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adiecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecudibus, quæ non solum vitam habeant, sed & sentiant quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus; qui non solum viuunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum.

Voluit

Voluit quoque infirmiora nostra, abundantiori gloria sublimare, & contraxit se Maiestas; ut quod melius habebat, videlicet, seipsum, limo nostro coniungeret; & in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus & limus, Maiestas & infirmitas, tanta vilitas, & tanta sublimitas. Nihil enim Deo sublimius, & nil vilius limo; & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quam incomprehensibili Sacramento.

Pietatis verò mysterium appellat; primò quidem quod per illud pietas generi humano collata sit, vti D. Ambrosius exponit. Et D. Leo, *hac Domini nostri opera*, inquit, *non solum Sacramento nobis vtilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quodque impensum est mysterijs, profit, & moribus.* Et alibi; *Hoc magnum pietatis Sacramentum, quo totus iam mundus repletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidère promissum, quam qui susceperè donatum.*

Deinde, quod ad pietatem, seu bonum cultum qui solius Dei est, ac fide, spe & charitate perficitur, ut Augustinus docet, corda mortalium vehementissime excitet atque inflammet, vti antea satis demonstratū. Quam pietatem, si vsque in finem puram ac integram constanter tenuerimus, & hic magna conscientie tranquillitate, & in futuro, æternæ gloriæ felicitate gaudebimus. *Pietas enim ad omnia utilis est*, ait Apostolus, *habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futura.* Quod explicans D. Augustinus,

In Cômēt.  
Serm. de  
de Nat.

Serm. 3. de  
Nat.

Ench. cap.  
3. & 6.  
De Trinit.  
lib. 12. c. 14.

1. Tim. 4.

Epist. 52.

Pietas,

*Pietas, inquit, quæ est verus cultus veri Dei, ad omnia prodest, & quæ molestias huius vitæ auertat aut leniat, & quæ ad illam vitam, salutemque perducatur, ubi nec aliquid iam mali patiamur, & bono summo sempiternoque perfruamur.*

## MONITVM XIV.

*Tulerunt IESVM in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.*

LUC. 2.

**P**ROPOSITUM est mihi; trium personarum, quæ præcipuas huius historię partes egerunt, exempla seu virtutes ante oculos ponere, vt earum memoria & consideratio animos ad imitationem excitet: sanctissimæ, videlicet, Mariæ Virginis, quæ primogenitum suum intulit in Templum, vt sisteret eum Domino; Annæ prophetissæ, quæ ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israël, denique Simeonis senis, qui accepit puerum in vlnas suas, & benedixit Deum.

Atque vt ab isto sene sumamus exordium; commendatur 1. Quod erat iustus; *Iustitia autem virtus est, suum cuique tribuens, inquit D. Bernard. Esto & tu iustus; tribus quæ suæ sunt tribue, superiori, inferiori, æquali. Superiori reuerentiam & obe-*

Serm. 3. de  
Aduentu.



& obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis  
 est; Nec enim sufficit exterius obtemperare maioribus,  
 nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis.  
 Aequali consilium, & auxilium; consilium, quo eruditur  
 ignorantia; auxilium, quo iuuatur infirmitas: nullum  
 autem consilium ego melius arbitror, quam si exemplo  
 tuo fratrem tuum docere studeas, quae oportet, & qua  
 non oportet fieri; prouocans eum ad meliora, & consulēs  
 ei non verbo neque lingua, sed opere & veritate: Nullū  
 etiam utilius aut efficacius auxilium, quam ut ores de-  
 uote pro eo, ut non dissimules redarguere culpas eius, ut  
 nullum ponas ei offendiculum, sed occasiones scandalo-  
 rum penitus remoueas. Inferiori custodiam & discipli-  
 nam; custodiam ut possit cauere peccatum, disciplinam,  
 ut quod minus cauit, non maneat impunitum. Si homi-  
 nem non habes, cui praes; habes tamen sub te, cui ista  
 debeas; videlicet, corpus tuum, quod regendum accepit  
 spiritus tuus; debes ei custodiam, ut non regnet in eo pec-  
 catum, nec membra tua arma fiant iniquitati; debes &  
 disciplinam, ut dignos faciat poenitentiae fructus casti-  
 gatum & subditum seruituri. ita D. Bernard.

Alterum in quo commendatur Simeon,  
 quod esset Timoratus, seu timens Deum. Et nunc  
 Israël audi dicit Moyses quid Dominus Deus tuus petit  
 à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum? aliter au-  
 tem timet, qui amat, aliter, qui non amat: qui non a-  
 mat, inquit August. timet ne pereat: qui amat, ti-  
 met ne displiceat: illum timorem Caritas foras mit-  
 tit, cum ille introcurrit. Et D. Prosp. aliud est time-  
 re, quia peccaueris; aliud timere, ne pecces; ibi est for-  
 mido de supplicio, hic sollicitudo est de premio; de illo  
 dicitur perfecta charitas foras mittit timorem: de hoc,  
 timor Domini permanens in seculum seculi.

Deut. 10.

De S. Virg.

In epist. ad  
Demetr.

1. Ioan. 4.

Piam. 18.

Timor

Mich 6.

Timor ergo Domini, à quo Sancti in Script. maxime commendantur, est sollicitudo ambulandi cum Domino Deo ; de quo Prophe- ta, *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Domino Deo tuo; quod non est aliud, quam sollicitum esse, ut Domino Deo in omnibus consentiamus. Seu timor Domini est sollicitudo non offendendi Deum. Offenditur autem duobus modis, si facias malum, quod prohibet; si omittas bonum, quod iubet; unde duplex officium timoris Domini, declinare à malo, & facere bonum; hinc & Tobias ad filium; *Multa bona habebimus; si timuerimus Deum, id est, ut addit, si recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.**

Tob 4.

Match. 5.

Ecclef. 48.

Serm. 74. in  
Nou. Ser.In Sermon. de  
omnib.  
Sanct.

Denique Simeon, *expectabat consolationem Israël; Ergo ex lugentibus erat; de quibus Dominus, beati qui lugent; & Sapiens loquens de Esaia Propheta Domini; Consolatus est, inquit, lugentes in Syon, prænuntians aduentum Saluatoris; qui absterget tandem omnem lachrymam ab oculis electorum. Lugent autem Sancti hoc tempore, quod est verè tempus fructuosa tristitia; inquit August. conditionem mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum, surreptiones peccatorum, aduersitates cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes tumultuantium. Et D. Leo, Religiosa tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium; nec de hoc dolet quod diuina iustitia agitur, sed eo moeret, quod humana iniquitate committitur.*

Deinde

Deinde non suam propriam, sed communem totius populi requirebat consolationem & gratiam, ait Ambrosius. ex latitudine charitatis, quæ idem & alijs quod sibi, optat & procurat. Sicut & publica nobis, ex institutione Domini, & communis est oratio, inquit Cyprian. & quando oramus, non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnus sumus. Vtinam de Christiano verum sit quod in laudibus cuiusdam Gentilis dicitur;

In cap. 2;  
Luc.

In orat.  
Domic.

Lucanus,

*In commune bonus, nullosque Catonũ in actus,  
Surrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas;  
Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.*

Denique non ex eorum numero erat, qui consolationem suam in vanis occiduisque quæerunt & capiunt, quibus minatur Dominus, *Va vobis qui habetis hic consolationem vestram,* à qua omnino alienus erat, qui dicebat, *Renuit consolari anima mea,* videlicet in rebus fluxis, ac terrenis. Quid ergo? *Memor fui Dei, & delectatus sum;* Memores sunt sancti bonorum cælestium, quæ per Christum à Deo expectant, ac in eorum spe & expectatione gaudent & consolantur.

Luc. 6.

Psal. 76.

Ad laudes Annæ Prophetissæ veniamus; quæ cum viro suo vixerat annis septem à virginitate sua, & hæc vidua vsque ad annos 84. Magna in his verbis præconia; Primò significatur, quod honestè ac pudice se gesserit ante coniugium, virginitatem suam illibatam seruans, eamque secum ad coniugium adferens. Quo nomine etiam laudatur Sara vxor Tobix junioris, ad quem Angelus, *Accipies Virginem cum timore Domini,*

Tob. 6.

K

Domini,

- Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus. Circa venerea, inquit Epictet. Philos. pro virili ante coniugium, castum purumque esse oportet. Non dubium, esse non paucas, quæ ad matrimonium corruptæ accedunt; quod à parentibus minime seruetur illud mandatum Sapientis;*
- Ecclef. 7. Filix tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas: præsertim hoc tempore quo tantus est impudicorum numerus, qui virginum pudicitiam insidiantur. De Nembrodio viro nobili ait D. Hieron. Tantus amator pudicitie vt virgo sortiretur vxorem. Lacana quada m paupercula percunctata a quodam, quam dotem ei, si duceret vxorem, datura esset: Patriam pudicitiam, respondit, vt refert Plutarch. Publius Mauius in libertum gratum admodum sibi animaduertit, quia eum nabilis iam atari filia sua osculum dedisse cognouerat; amaritudine pena, teneris adhuc puella sensibus, castitatis disciplinam ingenerari magni aestimauit, eique tam tristi exemplo præcepit, vt non solum virginitatem illibatam, sed & oscula ad virum sincera perferret, vt refert Valer. Max.*
- Lib. 6. c. 1. Deinde ostenditur quod non solum eadem domo, mensa, thoro, cum viro vsa fuerit, (quæ in coniugibus sine legitima causa separari non possunt) sed etiam quod amanter inter se & concorditer vixerant; sicut dicitur de Enoch & Noë, quod ambulauerunt cum Deo; & de Moyse & Helia, quod cum Christo loquebantur, quia videlicet ei per omnia consentiebant. Quam cara autem esse debeat mariti & vxoris coniunctio, eo etiam significatum est, inquit August. quod femina ex viri latere facta est; Ac inter tria bona*
- Cap. 37.*
- In instit. Laco.*
- Gen. 51  
Gen. 6.  
Matth. 17.*
- Lib. 12.  
cap. 36. de  
Ciuit. D. 61.*

bona quæ apud Sapientem probantur Deo  
& hominibus, vnum est, *Vir & mulier bene sibi  
consensientes*. Docet Plutarchus *debere vxorem,*  
*nullum affectum habere priuatum, sed studia, curas,*  
*risum, & omnia communia cum viro.*

Eccles. 25.

In. Præc.  
Connub.

Denique vidua erat, vsque ad annos 84. De-  
functo enim marito viduitatem suam adhuc  
in flore ætatis, & quidem eo tempore quo  
castitatem mores Israelitarum recusabant,  
Deo sacrauit; quemadmodum & antea Judith  
vidua nobilis, per quam Dominus tam insi-  
gnem victoriam est operatus, *propterea quod*  
*( vt ad illam aiebat summus sacerdos ) castita-*  
*tem auauerit, & post virum suum alium nesciuerit.*  
*Portia Catonis filia, cum apud eam laudaretur, quæ se-*  
*cundum habebat maritum, Respondit; felix & pudica*  
*matrona nunquam nisi semel nubit. Apostolus, inquit*  
*D. Hieron. digamiam malis mulieribus ignoscit, &*  
*antequam religio nostra fulgeret in mundo, vnicuba*  
*semper inter matronas habuere decus. Testis Valer.*  
*Max. qui lib. 2. ita ait; Quæ vno contenta matri-*  
*monio fuerant, corona Pudicitia honorabantur. Existi-*  
*mabant enim eum præcipue matrona sincera fide in-*  
*corruptum esse animum, qui deposita virginis atque cubile*  
*pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum*  
*experientiam, quasi illegittima cuiusdam intemperan-*  
*tia signum esse credentes. Valdè autem commen-*  
*dantur viduæ iuuenes, in quibus quanto labo-*  
*riofior continentia, ob expertam voluptatem, qua ca-*  
*rere difficile est, tanto maius præmium, inquit S. Hie-*  
*ron. Perfecta virtutis indicium est, ait idem, renun-*  
*tiare subito experta voluptati, fugere notas carnis ille-*  
*cebras, & calens adhuc ætatis flammis fidei vigore ex-*  
*tinguere.*

Judith. 15.

Lib. 1. in  
Iouin.Ibidem  
Hieron.

Lib. 2. c. 15.

Lib. 1. in  
Iouia. ad  
Furiam, &  
Geront.

Laudatur secundo Anna, quod *non discedebat de Templo*, aut quia ibi fixam sedem habebat, vel quia tempore congruo semper aderat diuinis officijs. Templum frequentabant Apostoli; *Erant semper in templo*, inquit Lucas, *laudantes & benedicientes Deum. Et, Quotidie perdurantes vnanimiter in Templo*. D. Ignatius, *Omnes*, inquit, *velut vnus quispiam ad templum Dei concurrere, sit vna precatio communis, vna spes, in charitate & fide inculpata in Christum IESUM*. De Monica matre sua narrat August. quod *bis in die, mane & vesperi ad Ecclesiam sine intermissione veniebat; non ad vanas fabulas, & amiles loquacitates, sed vt te Domine audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus*. Et tempore persecutionis Iustinæ Imperatricis Arrianæ, cum in Ecclesia excubaret pia plebs cum Episcopo suo Ambrosio mori parata, illa primas vigiliarum partes tenens, orationibus vivebat.

Temples enim Dei ad eum vsum propriè constructa sunt, vt illic Deus coleretur. Etsi enim alijs quoque locis Christianus precetur vtiliter, & vbique leuandæ sint puræ ad Deum manus, tamen & ipsa loci communitio, efficit, vt id sacris in templis magis libeat, atque in studiû orandi incumbatur alacrius, & ob confluentem multitudinem accendit vnus ardor proximos, & ipsa Ecclesiæ fides & oratio ad id plurimum confert, vt qui ea loca quippiam petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Catholicorum temples ita commendat D. Crysof. vt appellet ea; *loca angelorum & Archangelorum, regiam cali, cælum ipsum*

Cap vlt.

Cap 2. Act.

Ad Magnesia.

Lib. 5. Cōf. cap 9. &amp; lib. 9. c. 7.

In 1. ad Corinth. Hom 36.

ipsum, id declarans ex presentia corporali Christi in Eucharistia, cuius corpus illic offertur, seruetur, sumitur.

Liceat templorum eueriores, iisdem propè verbis conuenire, quibus olim D. Optatus, Episcopus Miieuitanus Donatistas compellauit; *Dicite fratres, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes, ut ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? an quia illic laudatus est Christus? an quia illic inuocatus est Spiritus sanctus? an quia vobis absentibus illic Propheta & sancta Euangelia recitata sunt? an quia illic fratrum iam dudum litigantium concordauerunt mentes?* &c. Ex quo peripicitur eos qui templa studet euertere, non modo in Deum, qui illic colitur iniurios esse, sed etiam pios homines, quantum in ipsis est, grauissimo animarum damno afficere, crudeliterque persequi. Hinc illa querela D. Hieronymi, de sui temporis calamitatibus; *Subuersa Ecclesia, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossa reliquia.* Et D. August. in vastatione illa Africana, maximè de flebat: *Destructis Ecclesiis, Ministris & Sacerdotibus desitutis, hymnos & laudes de eis defecisse, Sacramenta & sacrificia, vel non queri, vel querentibus qui tradat, non reperiri.* vt refert Possido.

Lib 6. cont.  
Parm. &  
Donat.

In epist. ad  
Heliodo.

In vita c. 28

Denique Anna ieiunijs & orationibus seruebat Deo die ac nocte. Multum refert, inquit Cyprian. *utrum quis studeat demereri Deum an homines.* Multi in suis actibus etiam bonis, vel boni speciem habentibus; non Deo sed mundo seruiunt. Non statim, inquit D. Hieron. *qui ieiunat, Deo ieiunat, aut extendens manum pauperi, Deo facerit: Vicina sunt vitia virtutibus; difficile est Deo tantum*

Epist. 55.

Cont. Lu-  
cifer.

*iudice esse contentum. Anna Deo seruiebat, Quibus? ieiunijs & orationibus. Duo optima seruandæ castitatis præsidia. Hinc idem Doctor; Iudith & Anna Phanuelis, ieiunijs & orationibus thesaurum pudicitia conseruabant: Vnde & altera in typo Ecclesia Diabolum capite truncavit; altera Saluatorem mundi prima suscepit, Sacramentorum conscia futurorum. De abstinentia prodeunt casta cogitationes,*

Serm. 2. de  
ieiun. 10.  
mens.

Greg. in  
Past. part. 3  
admon. 20.

Bern. serm.  
66. in Cant.  
Sapient. 8.

Lib. 6. Cōf.  
cap. 11.

Tho. Kēp.  
lib. 3. de  
Imit.  
De S. Virg.

Psalm. 113.

*inquit D. Leo, & per ieiunium resistentes Diabolo vitia blanda superamus. Dum enim venter satietate exundatur, aculei libidinis excitantur, & dum nimis nutritur caro, simul & carnis nutriuntur vitia. Oratione autem opus est, sicut vt acquiratur castitas, ita & vt conseruetur. Vnde Sapiens, Vt sciti quoniam non possum esse continens, nisi Deus det, ady Dominum, & deprecatus sum illum ex totis precordijs meis. Et D. August. de se; Putabam me miserum fore nimis. si sœmine priuaret amplexibus, & medicinam misericordie tue. ad eam infirmitatem sanandam, non cogitabam; Vtique dedisses castitatem, si gemitu interno pulsassem aures tuas, & fide solida iactassem in te curam meam. Sicut autem gratia dei donatur, ita eiusdem gratia conseruatur; Nulla est enim castitas, inquit quidam Sapiens, si eam non protegat Domini bonitas; Et, bonum castitatis non custodit, inquit D. August. nisi Deus ipse qui dedit. Hinc S. Cæcilia, cum de castitate amitenda periclitaretur, sollicitè rogabat Dominum; Fiat cor meum & corpus meum immaculatum, vt non confundar.*

Superfunt tres virtutes in sanctissima Virgine considerandæ: vna est, obedientia, qua suapte sponte elegit subijci, omnesque ritus  
veteris



Veteris legis, diligenter obseruare, cum tamen lege purificationis non teneretur. Certum enim ac firimum habere debemus, hanc virginem ab initio inter omnes mulieres, benedictam, corpore & animo semper intactam ac inuiolatam, ab omni peccati labe integram, & gratia plenam extitisse, nullamque aliam adeo sanctam ac felicem inueniri posse, quam de summo cœlo Pater æternus latioribus vnquam oculis aspexerit, quæ legem omnem diuinam in terris exactius obseruarit.

Præbet ergo Virgo sanctiss. exemplum obedientiæ, de qua D. Augustinus, *Nihil tam expedit anima, quam obedire; si in seruo, vt Domino; in filio, vt patri; in vxore, vt marito; quanto magis in homine, vt Deo obediat?* Quid autem malorum inobedientia generi humano attulerit, quis non cognoscit, quis non experitur? Vnde enim rerum omnium, tum in ipso homine, tum extra eum perturbatio, nisi ex humana aduersus Deum rebellionem? *Mentis & carnis artifex est Deus, inquit August. ipse quando hominem creauit, verumque fecit, vtrumque coniunxit: carnem animæ subdidit, animam sibi; si semper illa staret sub domino suo; semper & ista obediret dominae suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem, panas patitur, per inferiorem.*

In Psal. 70.

Serm. 12. de Verb. Apo.

Ad eandem rebellionem & perturbationem designandam, cernimus animantia, non solum contra ipsum hominem, qui eis præpositus erat, sed & contra seipsa crudelia & fera euasisse; itemque aerem, terram, & cæ-

tera quæ hominis gratia condita sunt, de suo statu mota; non aliter quam si Patrefamilias à latrone sublato, totius familiæ ac supellectilis ordo turbetur. Creatus est homo condito iam orbe, ut tanquam princeps & Dominus præparatum sibi in regnum ac domicilium introduceretur, ubi ei subseruirent ad nutum vniuersa; sed nobis ista pro arbitratu non seruiunt, (imò sæpè perniciem adferunt) quoniam Domino nostro ipsi non seruiamus. *Querere*, inquit D. Cyprianus Demetriano, *quod non ista vtilitatibus tuis ac voluptatibus elementa deseruiunt; Tu enim Deo seruis, per quem tibi cuncta deseruiunt? Tu famularis illi cuius nutu tibi vniuersa famulantur?* Et quoniam hæc pietas, quæ Deo seruitur, magis magisq; progressu temporum languescit, etiam vii naturæ debilitari in rebus cernimus, mundumque ipsum quodammodo contenescere, & occasum sui rerum labentium probatione testari, uti ibidem Cyprianus demonstrat.

Cyprian ad  
Demetr.

Serm. 1.  
Super Miss.

Altera virtus, humilitas est, de qua D. Bernard. *Laudabilis virtus Virginitas est, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista precipitur; sine virginitate saluari potes, sine humilitate non potes; potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam, sine humilitate verò, audeo dicere, nec Maria Virginitas placuisset. Nisi efficiamini sicut paruuli, id est, humiles, inquit Christus, non intrabitis in regnum cælorum. Non quod ad lubrica infantia & imperfecta nobis primordia redeundum sit, ait D.*

Matth. 18.

Serm. 7. de  
Epiph.

*Leo, sed aliquid quod etiam annos graues deceat indumendum est; velox commotionum transitus, citus ad pacem*

*pacem recursus; nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis, amor sociæ dilectionis, aequalitas naturalis.*

Hanc autem humilitatem ostendit D. Virgo, quandoquidem pura semper & immaculata, sese ultro alijs Israelitis, & immundis admiscuit mulierculis, nihil de se sublime vel sentit, vel loquitur, sed perinde ac sortis extremæ & abiectissimæ conditionis quædam à Templi sacri in gressu abstinet, sui que puerperij præscriptos dies expectat, ac deinde velut immunda, & æqualis alijs, legem purificationis ad vnguem obseruat. Non pudet nec piget illam statim tempore in templum prodire, & egenis puerperis adherescere, quod in facultatibus tantum non haberet, vt agnum anniculum in holocaustum offerre, suoque munere filium redimere posset, & idcirco duos turtures, aut duos pullos columbarum adduxit.

*Verum humilis, inquit D. BERN. vilis vult reputari, non humilis predicari; gaudet de contempta sui; hoc solo nomine superbus, quod laudes contemnit. Et D. Gregor. Sicut superbi honoribus sic plerumque humiles sua despectione gloriantur, cumque se viles in oculis alienis aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt, quod de se & ipsi apud semetipsos habuerunt. Decebat matrem esse humilem, quæ humilem Deum pepererat. Maxima enim fuit filij Dei humilitas, quod venerit in similitudinem carnis peccati, quod versatus inter peccatores & miseros, iisdem miserijs & ipse sine peccato obnoxius, ac*

Scem. 16.  
in Cant.

Lib. 1. Dia-  
log. cap. 6.

Serm. 1. de  
ieiun. 11.  
mens.

tandem etiam cum iniquis ac sceleratis reputatus. *Nibil autem dignius est, ait D. Leo, quam ut homo sui authoris sit imitator, & secundum modum propria facultatis, diuini sit operis executor. Et hac est naturalis nostri generis dignitas, si in nobis quasi in quodam speculo Diuina benignitatis forma resplendeat.*

Matth. 11.

Vnde diligenter ipse omnes hortatur; *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.*

Tertia virtus, charitas est, quæ in eo fuit, quod legem seruando qua non tenebatur, proximis id ignorantibus omnem calumniandi occasionem amputauit; docens nos, singularem aliorum, præsertim imbecilliorum, rationem habendam esse, ne Christiana libertate, cum cuiusquam offensione; vnamquam præposterè abutamur: & ut de nostro etiam iure aliquando cedamus, nostroque incommodo, si possimus, alienum commodum prouehamus. Vnde & Apostolus monet; *Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detu carnis, sed per charitatem seruite inuicem.* Et alibi; *Qua pacis sunt sectemur, & qua adificationis sunt inuicem custodiamus.* Et rursum;

Gal. 5.

Rom. 14.

1. Cor. 11.  
In epist. ad  
Celantiam.

*Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & Ecclesie Dei.* D. Hieronymus, Apostolici, inquit, præcepti & exempli est; ut habeamus, rationem non conscientie tantum, sed & fama. Non superfluum, nec a fructu vacuum, Gentium Magister hoc docet, vult enim etiam extraneos ad fidem homines, per fidelium opera proficere; ut religionem ipsam disciplina religionis commendat, vnde & ipse de se, *Providemus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et alios hortatur, *Providentes bona non tantum coram Deo, &c.*

Rom. 12.

2. Cor. 8.

Bea-

Beatus qui tam sanctè tamque graviter disposuit vitam suam, ut de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum. Quod si id assequi difficile ac nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne mala mentes occasionem inueniant detrahendi; ne ex nobis scintilla procedat, per quam aduersus nos sinistra fama flamma constetur: alioqui frustra irascimur obrectatoribus, si eis ipsi obrectandi materiam ministramus.

Pulchrè etiam Plutarchus: *Crimine aliquo notatus*, inquit, si id verum sit maiore studio id expurgare debes, quam vestis aliquam commonstratam maculam; si falsum, tamen querenda causa est, quæ criminatiõni occasionem dedit; cauendumque & verendum, ne imprudentes tale aliquid, aut simile eius, quod obiectum fuit, committamus. Ergo cum aliquid obicitur falsum, non ideo contemni aut negligi debet, sed si quoddidum, factum, vel quid aliud huic calumnia anfasam dedit, studiosè cauendum. ita Plutarch. Quam

In lib. de  
utilitate ex  
hoste capi  
pienda.

1. Theff. 5.

De bono  
vid. c. 22.

conforme Apostolicæ doctrinæ, quæ monuit; *Ab omni specie mala abstinete vos*: & S. Augustini in lib. de Bono viduit, Vbi dicit, non esse audiendos, siue viros sanctos, siue scæminas, quando reprobata in aliquo negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam; existimationem hominum non imprudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes: cum occidunt animas aliorum, siue blasphemantium vitam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum; siue etiam cum excusatione imitantium,

non

*non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra: & utique etiam quod alijs ministramus misericorditer, ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Hactenus Augustinus. Habetis, varia virtutum exempla, imitatione dignissima ac memori mente tenenda.*

In epist. ad  
Celant.

Concludam ergo hanc doctrinam sententia quadam D. Hieronymi, qua in Celantia Matrona nobili, omnes ita hortatur; *Precipua tibi cura sit legem nosse Diuinam, per quam possis quasi presentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum sit, quidue vitandum illius consilio discere.*

## MONITVM XV.

*Cum inducerent puerum IESVM in Templum parentes eius, &c.*

Luc. 2.

Exod. 12.

**S**ANCTISSIMA Virgo Maria, hodierno suo exemplo, quo primogenitum in Templū induxit, vt sisteret eum Domino, (quod fieri præceperat Deus in memoriam ingentis illius beneficij, quo Ægyptiorum primogenitis occisis, primogenita Israelitarum, serua-uit) monuit atque incitauit, vt de spiritali Dei Templo, & spiritali primogenitorum cæde

tæde sermonen instituerem; quod id vobis non inutile, temporibus nostris infelicissimis accomodum, Deiparæ Virgini non ingratum fore existimarem.

Atque vt à primo exordiar; Propheta Ag- Aggæi. 2.  
 gæus ex ore Domini de Templo Salomonis iam ab hostibus euerso, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech Sacerdotem magnum, nec non ad reliquos populi verba faciens; *Quis, inquit, in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria prima?* quam videlicet, habuit ante euersionem; *Hac dicit Dominus exercituum; Magna erit gloria domus istius nouissima;* post captiuitatem reedificandæ; *plus quam prima;* eò quod ipse Deus carnem indutus, ingressurus esset in eam, ac corporali præsentia honestaturus. Vnde ibidem; *Veniet, desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quod hodie primum completum cernimus, quando Virgo sanctissima impletis diebus purgationis, primogenitum induxit in Templum, vt offerret & consecraret eum Domino.

Qua re hoc, nimirum, significatum est, quam esset gloriosum ac honorificum; quantique æstimandum spiritale Templum, quod ipse Deus Maiestatis intrat per gratiam, & per fidem, ac dilectionem inhabitat. De quo Apostolus Paulus; *Nescitis, inquit, quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et, *Vos estis Templum Dei viui, sicut dicit, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Quem, inquit S. Leo, Serm. 8. de Epiph.  
*fideles tanto magnificentius recipiunt, quanto magis*

- non in se sed in Domino gloriantur; quoniam quibus dicitur, *Regnum Dei intra vos est, nihil non agunt illius spiritu, cuius reguntur imperio.* De quo & D. August. ad Italicam, consolans eam super obitu mariti; *Non, inquit, te desolatam putare debes, cum in interiore homine habeas praesentem Christum per fidem in corde tuo.*
- Luc. 17. Epist. 6. Ephes. 3. Lib. 9. Cōf. cap. 9. De S. Virg. cap. 3. 4. Serm. I. de Nat. Lib. 4. in Luc. cap. 49. Psalm. 65. In Psal. 64.
- Et de matre sua Monica cum Domino loquens; *Quisquis, inquit, seruatorum tuorum carnouerat, multum in ea laudabat, & honorabat & diligebat te, quia sentiebat praesentiam tuam in corde eius, sancta conuersationis fructibus testibus.* Tale Templum ipsa Virgo sanctissima, de qua D. Augustinus; *quod beator sicut percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi: & D. Leo: Virgo regia, inquit, Dauidica stirpis eligitur, quae sacro grauidanda fetu, Diuinam humanamque proiem prius conciperet mente, quam corpore.* Sic & V. Beda: *Dei genitrix inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beator, quia eiusdem semper amandi, custos manebat aeterna.*
- Vnde verò Spiritale Dei Templum agnoscatur, Propheta Dauid declarat; dicens; *Sanctum est Templum tuum.* Prophanari non debet, est enim Deo sacrum, Deo dicatum, nihil in eo agatur, nisi quod ad Deum pertinet.
- Addit, *Mirabile in aequitate.* Non dixit, inquit Augustinus, *mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis; sed mirabile in aequitate, seu iustitia.* Habes foris oculos vnde videas marmora & aurum; intus est oculus vnde videatur pulchritudo iustitia, quae virtutes in se complectitur omnes, quibus Domus Dei egregie adornatur:
- Rur-



Rursum Proph. David; *Transibo in locum tabernaculi admirabilis*, id est, abstrahens me à strepitu carnis & sanguinis, contemplabor diligenter quæ in Tabernaculo Domini agantur. Vbi D. Augustinus: *Tabernaculum Dei in terra, homines sunt fideles; multa in eis sunt admiranda; anima seruienti Deo, membra corporalia militare admirror; respicio & ipsam animam obediensentem Deo, distribuens opera actus sui, strenuam cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem se ad omnia aspera & dura toleranda, iustitiam, & charitatem impendentem cæteris.* Hæc fiunt in Templo Domini.

Pfam. 41.

In Psal. 41.

Deinde D. Leo; *Qui, inquit, experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur, Mirabilis Deus in Sanctis suis; sincero examine cordis sui, interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbia, qua beneuolentia obluetetur inuidia, quam non capiat adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis; an pro malo non cupiat malum reddere, malitque multas obliuisci iniurias, quam imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Ac ne in multis laboret sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem omnium virtutum, Charitatem in secretis sua mentis inquirat; & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui, qua sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem & inhabitatorem sui esse non dubitet.* Hactenus Leo.

Serm. 8. de  
Epiph.  
Pfam. 67.

Matth.

Denique D. Prosp. in Epigram. ait.

Cum

159

Prosp. in  
Epigramm.

*Cum constans anima, aduersis non frangitur vllis;  
Es fidei virtus intemerata manet,  
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis,  
Inque eius donum, quod steterit, referat;  
Nam quod non cecidit, proprijs si viribus aptet,  
Hoc ipso quo se stare putat, cecidit.*

Lib. 1. hist.  
cap. 11.

In hist. Bar.  
laam cap. 6.

Dan. 5.

1. Mach. 6.

2. Mach. 3.

5. & 9.

Ioan. 2.

Dignitatem autem huius spiritualis Templi intellexit Constantinus Mag. Imper. quando; vt refert Theodoret. viros illos eruditione & sanctitate præstantes, quos Maximinus Tyrannus, tanquam hominum vilissimos ad metalla damnauerat, & alijs dextros oculos effoderat, alijs cæcra succiderat; ipse mensa sua asidere fecit, labia vulneribus admouit, certus osculo benedictionem se inde hausturum. Agnouit & magnus ille Rex apud D. Damasc. Qui conspiciens duos admodum miseros externo quidem habitu, atramen iustos, e curru aureo, in quo sedebat, desiliit, atque humi prostratus, adorauit, deinde surgens amicissimè complexus est, & salutauit. Vtique ipsum Dominum in seruis suis, velut in Templo suo, considerantes ac venerantes. Dignitas huius Templi etiam ex eo perspici potest, quod grauissime Deus indignetur ijs, qui ipsum violant. Horribiles fuere exitus eorum, qui materiale Templum violarunt, vt Balthazaris, Antiochi, Heliodori, Alcimi, & aliorum; Ipse Christus, alioqui mansuetissimus, grauissimam ostendit iram erga eos qui idem Templum prophanabant. Quanta putatis supplicia illos manere, qui spiritale Templum, cuius illud est figura ac signum, prophanare ac violare non verentur?

si,

Si, inquit August. eligeres in Ecclesia Dei facere *Apud Bedā*  
*in cap. 3.*  
*1. ad Cor.*  
*adulterium, intra ijs parietes, quid te esset scelera-*  
*tus: Modo autem tu ipse es Templum Dei, templum*  
*intras, templum exis, templum in domo tua manes,*  
*templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi*  
*habitatores, & deserat te, & in ruinam vertatur. D.*  
 Hieron. ad Sabinianum, qui Virginem ad  
 stuprum sollicitauerat; *Oza Leuites*, ait, *arcam*  
*Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem*  
*sustentare voluit, & percussus est. Quid de te futurum*  
*putas, qui stantiē arcam Domini precipitare conatus es?*  
 Si quis, inquit Apostolus, *Templum Dei violauerit,* *1. Cor. 3.*  
*disperdet illum Deus.*

Violant autem, vel qui seipso erroribus,  
 libidinibus, ebrietatibus, comestationibus,  
 similibusque sceleribus contaminant; vel alios  
 consilio, hortatu, exemplo malo ad huiusmodi  
 flagitia seducunt. Quod factum conqueritur  
 grauius Proph. Dauid, dicens; *Deus* *Psal. 78.*  
*venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt tem-*  
*plum sanctum tuum. Venerunt in hereditatem*  
 tuam, id est, in Ecclesiam, inquit Augustinus; *August. in*  
*illum Psal.*  
 non credendo, sed persequendo, inuaserunt  
 eam animo delendi, atque omninè perdendi.  
 Polluerunt Templum sanctum tuum, quod  
 non in lignis & lapidibus, sed in ipsis homi-  
 nibus intelligitur, de quibus tanquam lapi-  
 dibus viuis construi dicit Apostolus Petrus *1. Petri, 2.*  
 Domum Dei; quod Templum persecutores  
 in ijs polluerunt, quos ad negandum Chri-  
 stum terrendo vel cruciando coegerunt, vel  
 ad alia scelera blanditijs, promissis, vel alijs  
 modis pertraxerunt.

I

Habeo

Habetis spiritualemente de Templo interpretationem, de quo imprimenda est penitus animo sententia S. Leonis dicentis: *Si templum Dei sumus, multa nobis vigilantia laborandum est, ut cordis nostri receptaculum, tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia prouidetur, ut siquid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura restituat; ita iugi oportet sollicitudine praeuere, ne quid in animis incompositum, ne quid inueniatur immundum. Quisque ergo*

Serm 5, de Quad.

Lib. 1. Cōf. cap. 5.

Psal. 18.

oreet cum S. Augustino Dominum; *Angusta est domus anime mee, quo venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinosa est, refice eam. Habet quae offendant oculos tuos. Sed quis mundabit eam? aut cui alteri, praeter te clamabo: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parie seruo tuo.*

Ad secundum veniamus; Oblatio Primogenitorum vnde originem habuerit, neminem ignorare puto; Exegit illam Deus in recordationem magni illius beneficii praestiti populo Israël, cum interfectis omnibus primogenitis Aegyptiorum, solis Israelitis percipit Deus. Quod praecipuum sanctissimam Virginem diligenter esse executam, Evangelista Lucas testatur. Sed operæ pretium est, spiritualemente huius historiae sensum proponere. Ac ceteræ quidem plagæ, quibus afflicti fuerunt Aegyptij, varia hominum scelera significant, in quæ iusto Dei iudicio, cadere permittuntur; ista autem postrema, occisio videlicet primogenitorum quæ omnium habebatur grauissima, amissionem fidei nobis ob-

ocu-

Vide-Aug.  
in Psal. 104.

oculos ponit. Primogenita enim est fides, & superni agricolæ prima plantatio, spiritalis ædificij fundamentum, omnium bonorum semen ac radix. Vnde Apostolus Paulus ex fide nos iustificari, ex fide viuere dicit; quia inquit D. August. *Fides prima datur, ut per illam cætera impetrentur, quæ ad iustitiam & vitam pertinent.* Et S. Ioannes, *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Demonstrat enim illa nobis parandæ victoriæ rationem, dum eum ostendit, cuius ope solius & gratia vincimus, si ad illum ex hac confugerimus. *Nemo enim suæ viribus fortis est,* ait Cyprian. sed per eum solum vincimus, qui dicit, *Confidite, ego vici mundum.* Quem cum demonstrat & inuocat fides, fit, ut de ea quoque verè dicatur, *hæc est victoria,* id est, causa victoriæ, qua mundum vincimus, & sic immarcessibilem gloriæ coronam percipimus. Vnde facile intelligitur, quantum sit Dei in homines beneficium, quando eis dat veram fidem, in eaque perpetuò conseruat.

De predest.  
Sancto. c. 7.

1. Ioan. 5.

De Orat.  
Domin.  
Ioan. 16.

Quantum verò supplicium, quando peccatis ita merentibus, eam adimit, hominesq; in varios errorum labyrinthos incurrere permittit? Quod Dominus Deus tamquam grauissimū malum in Scripturis sacris comminatur: dum per Isaiam de Vineâ non ferente fructum; *Mandabo,* inquit, *nubibus meis, ne pluant super eam,* id est, prædicatoribus veritatis, ne rigent eam imbri doctrinæ salutaris, quæ in cordibus hominum fides vera gignitur, nutritur, & conseruatur: dum per Amos Amos. 8.

Isai. 4.

terribiliter intonat, *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aqua, sed audiendi verbum Domini*, id est, defectum veræ fidei, ac in-

2. Par. 15.

Osee 3.

opiam doctrinæ salutaris: dum Israelitis prædicat, quod propter peccata essent *per multos dies absque Sacerdote, Doctore*, qui videlicet, eis annuntiaret veram fidem qua Deus verus cognoscitur, ac via ad Deum demonstratur.

Vnde & tres pueri in camino ignis, non amissam patriam deplorant, non opes, non amicos, sed quod *non esset sacrificium* quo Deum

Daniel. 3.

sibi propitium redderent; *nec Propheta*, qui eis ex ore Domini loqueretur, ac salutari do-

2. Machab. ultimo.

ctrina imbueret. Sic & tempore Machabæorum, *fidelibus minor erat sollicitudo pro vxoribus, & filijs, pro fratribus & cognatis; maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi*; ne illud violaretur aut subuerteretur, in quo quotidie sacrificia offerebantur, veritatis fiebat prædicatio, ceremoniæ frequentabantur, quibus omnibus fides veri Dei ac Mediatoris Christi significabatur, docebatur, alebatur, ac promouebatur in animis fidelium.

Ad Arrian. Et de seiplo

Audite in quo gloriatur D. Gregor. Nazianzenus, & quo se consoletur, tempore Arrianorum, longè lateque grassantium: *Habent, inquit, Arriani temeritatem & audaciam, nos fidem; habent illi minas, nos preces; habent illi ferendi insolentiam, nos patientiam; denique habent illi aurum &*

D. August. epist. 5.

*argentum, nos purgatam fidei doctrinam. Sed aduersa & peruersa corda mortalium, felices res humanas putant, cum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta, virtutum: cum rectorum splendor at-*  
*tenditur,*

enditur, & labes non attenditur animorum. Et quæ  
 reior aut perniciosior animi labes, quam hæ-  
 elis aut infidelitas?

D. Augustin. de seipso adhuc Manichæo; Lib. 4. cōf.  
cap vltimo.  
 Quid, inquit, Domine Deus, mihi proderat ingenium  
 et omnes doctrinas liberales agile, & tot nodosissimis  
 libri, sine vlllo humani magisterij adminiculo enodatis,  
 um deformiter & sacrilega turpitudine in doctrina  
 ietatis errarem? Aut quid tantum oberat paruulis tuis  
 vngē tardius ingentium, cum a te longè non recederent,  
 t in nido Ecclesia tui plumescerent, & alas charitatis  
 ilimento sana fidei nurrerent? Infelix homo, qui scit Lib. 5. Cōf.  
cap. 4.  
 illa omnia, te autem nescit; beatus autem qui te scit,  
 tiam si illa nesciat; Qui verò & te & illa nouit, non  
 ropter illa beator, sed propter te solum beatus est, si  
 ognoscens te, sicut Deum glorifices, & gratias agat,  
 & non euanescat in cogitationibus suis.

Certe hoc inprimis studiosissimè agit Dia-  
 bolus, vt excludat lucem fidei, & tanquam  
 rrorum obiecta mole, salutis aditum inter-  
 ludat. Quod vbi perfecit, non magnum est,  
 i in libidinum infandarum gurgitè demer-  
 gat; si superstitionū malis artibus illaqueet;  
 i superbiæ elatione præcipitet; si inuidiæ ex-  
 igitet stimulis; si conculcet per auaritiam; si  
 consumat per ingluuiem; si frangat per im-  
 patientiam; si deiciat per desperationem; si  
 denique tanquam immissa cohorte omnium  
 vitorum pellundet ac perdat genus huma-  
 num. Vnde recte D. Leo; Serm. 4. de  
Collect.  
*Facile Diabolus in omnia flagitia impellit, quos in Religione decepit,* su-  
 blata enim veri notitiæ, tanquam extinctis  
 luminibus, & oculis erutis, regit hominem

**Serm. 9. de Quad.** Diabolus tenebrarum propterea Princeps appellatus; quoque libuerit, impellit, sibi que penitus seruire cogit. Hinc idem D. Leo; *ad pramiam eterna tendentibus in eo maxime diaboli insidiatur astutia, ut quorum non potest peruertere probitatem, subtruat fidem.* Et rursum; Diabolus non solum per carnis concupiscentias, & per corporeas tantum insidiatur illecebras, sed inter ipsa quoque semina fidei spargens Zizania falsitatum, veritatis studet violare culturam; ut quos non potuerit corrumpere malis actibus, impijs subuertat erroribus.

**Ephef. 2.** Dicit Apostolus Paulus, quod Princeps aeris huius operatur in filijs diffidentia. Quid operatur? **Epist. 107.** Operatur, inquit August. opera sua mala, & inprimis maximeq; ipsam diffidentiam seu infidelitatem, qua sunt inimici fidei, per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissime liberos (quod eis vehementer inuidet) in aternitate regenerari. Itaque aliquos eorum, inquit, per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quasque gentes. Sed quoniam sicut verissima Scriptura dicit, Omne quod non est ex fide peccatum est; Et, Sine fide impossibile est placere Deo; nihil sic agit diabolus, quam ut non credatur in Deum, nec ad mediatorem, a quo soluantur eius opera, credendo veniatur.

**De Vnit. Eccles.** Quid vero astutius, inquit D. Cyprian. atque subtilius, quam ut Christi aduentu desertus ac prostratus inimicus, videns idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitauerit nouam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incantos? Hereses inuenit & schismata quibus subuerteret fidem, veritatem corrumpere, scinderet unitatem? Verissime ergo dixit D. Leo,

**Serm. 5. de Nat.**

Ang-



*Angusta & ardua est via, quæ ducit ad vitam; non in solo opere virtutum, aut in sola obseruantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei; magni enim laboris, magnique discriminis est, inter dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates (quas seminat diabolus) per vnam sana doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & cum vndique se laquei erroresque opponant, omne periculum deceptionis euadere. Fidem autem Catholicam, inquit D. Athanâs. nisi quis integram inuolatasque seruauerit, absque dubio in æternum peribit; Et D. Prosp. Alienus est à numero fidelium, & à sorte sanctorum, quisquis in aliquo à Catholica veritate dissentit.*

In Symbol.

In epist. ad Demetr.

Quæ cum ita sint, ad conseruationem fidei tot periculis expositæ, tanque ad salutem necessariæ, hortari vos volo verbis D. Leonis sanctissimi ac doctissimi Pontificis, qui Serm. 4. de Nat. Magnum, inquit, presidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab vlllo quicquam, nec minui potest, quia nisi vna est, fides non est; dicens Apostolo, Vnus Dominus, vna fides. Huic vnitati inconcusis mentibus inhaerere, & in hac omnem sectamini sanctitatem, & in hac præceptis Domini deseruire; quia sine fide impossibile est placere Deo; Et nihil sine illa sanctum est, nihil castum est, nihil viuum; Iustus enim ex fide uiuit. Quam qui diabolo decipiente perdidit, viuens mortuus est. Quia sicut per fidem iustitia, ita etiam per fidem veram obtinetur vita æterna.

Serm. 4. de Nat.

Ephes. 4.

Hebr. 11.

Rom. 2.  
Hebr. 10:

## MONITUM XVI.

*Vt darent hostiam, secundum quod scriptum est in lege Domini.*

LUC. 2.

**D**VÆ nobis virtutes in Sanctissima Virgine considerandæ; vna est, humilis erga Deum obedientia; altera est, sincera erga proximum charitas. Primam declarauit, cum se humiliter Diuinæ legi subiecit, qua non tenebatur; non enim pepererat suscepto semine, & filius natus non vuluam eius aperuerat, sed intactam planè inuiolatamque reliquerat; & tamen dies purgationis seruare, primogenitum sistere, hostiam dare, (quæ omnia lex præcipiebat) more aliarum fœminarum, humiliter ac obedienter voluit.

Leuit. 12.

Exod. 13.

Num. 8.

Hom. 12.

& 14. in

epist. ad Rom.

Hom. 36. in

Matth.

D. Chrysof. *Quod spiritu adoptionis agamus, eo manifestum fieri maxime dicit, quod mandata Dei non solum implemus, sed etiam transcendimus.* Et alibi: *Monachos eremi cultoris collaudans, atque quod in oratione vsurpabant, vt abundarent in omni opere bono, precantes; quid id sibi vellet, exponens, hac eos significare scribit, petere, vt non solum faciant quæ debent ex præcepto, verum etiam vltra iniuncta progredientur.* Quæ distinguens D. Augustinus,

De S. Virg.

cap. 30.

*Hac, inquit, exiguntur, illa offeruntur; præcepta nisi fiant, damnantur; illa verò si fiant, laudantur: in præceptis debitum imperat tibi Dominus; in his autem si quid amplius supererogaueris, in reddendo, reddet tibi.*

Luc, 10,

*Amplius*

Amplius erogauerat Apostolus Paulus, (inquit In Psal. 133  
 em August.) quia cum Apostolis omnibus permis-  
 sisset ut acciperent tanquam milites Christi stipen-  
 dia a Prouincialibus Christi, ille manibus suis labora-  
 uerit, & annonas suas prouincialibus suis donauit. Sic  
 August. qui de se in Confess. Nolo in aliud Lib. 11. c. 2  
 suauiter horere, quas inuenio liberas a necessitatibus re-  
 cendi corporis, & intentionis animi, & seruitutis,  
 am debemus hominibus, & quam non debemus, &  
 nem reddimus, quam, uidelicet, in meditatione  
 is Domini. Vehementer laudauit Dominus Ierem. 35  
 Script. ac insigni promissione decorauit,  
 ios Rechab, quod patri suo Ionadab præci-  
 pienti, ne biberent vinum, & ne ædificarent  
 mium (ad quæ tamen non obligabantur)  
 imiliter obedissent: Hæc dicit Dominus exerci-  
 tum, Deus Israël, (inquit Proph. Ieremias)  
 eo quod obedistis præcepto patris vestri Ionadab,  
 & deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in  
 spectu meo. Sic etiam laudabile est, parenti-  
 bus ad meliora hortantibus obtemperare, ut  
 iando incitant ad perpetuam continentiam,  
 ligiosam vitam. Etsi vnusquisque donum ex Deo  
 beat, alius quidem sic, alius uero sic; & filij hisce in  
 bus omninò liberi sint, nullaque obedi-  
 e-  
 necessitate attingantur.

Videtis quo spiritu acta sit Virgo sanctissi-  
 a etiam ea humiliter adimplens, ad quæ non  
 rebatur: hominum confundens superbam  
 obedientiam, qui etiam iniuncta quæque  
 o grauium comminatione pœnarum, au-  
 ster transgrediuntur, & præcepta Dei su-  
 rbo ac tumido animo contempnunt, & con-

- Psalm. 118. *culcant. De quibus præceptis David, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis; & D. Cyprian. Deus ut est ad ignoscendum facilis, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens. & D. Gregor. Quidquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc a nobis cum distractione exigit. De huiusmodi peccato dicit Scriptura; Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatria, nolite acquiescere.*
- Tract. de Lapf. *Talibus dicit Dominus; A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam. Et iterum; Populus ad iracundiam prouocatus est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Et rursum; Maledicti, qui declinant, siue deficient, a mandatis diuinis, rebellium videlicet in morem, subijci Deo suo recusantes.*
- Homil. de Ascens. *De hoc tumido & elato animo ita D. Hieron. Quamuis mihi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar, Delicta iuuentutis meae, & ignorantias meas ne memineris Domine; tamen sciens scriptum esse ab Apostolo, Ne inflatus superbia, in iudicium incidat diaboli. Et in alio loco; Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam; nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quam tumentem animum, & ceruicem erectam, Dei contra se odium prouocantem. Noui enim Magistrum & Dominum & Deum meum in carnis humilitate dixisse,*
1. Reg. 15. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et ante per os David cecinisse, Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus; Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam exaltabitur, ita D. Hieron.*
- Hierm. 2. *D. verò Augustinus, tractans eandem sententiam Christi, discite a me. Non dicit, inquit,*
- Isai. 30. *Discite*
- Psalm. 118. *Discite*
- In Epist. ad Abiga. *Discite*
- Psalm. 24. *Discite*
1. Tim. 3. *Discite*
- Iac. 4. *Discite*
1. Pet. 5. *Discite*
- Math. 11. *Discite*
- Psalm. 131. *Discite*
- Prouerb. 16 *Discite*
- De S. Virg. cap. 35. *Discite*

discite a me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; Matth. 11.  
 sed quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam sa-  
 itarem; ô magistrum, Dominumque mortalium, qui-  
 us mors poculo superbia propinata est, atque trans-  
 usa. Noluit docere, quod ipse non esset; noluit iubere,  
 quod ipse non faceret. Video te, bone Iesu, oculis fidei,  
 uos aperuisti mihi, tanquam in concione generis hu-  
 mani, clamantem atque dicentem; Venite ad me, &  
 discite a me. Quid obsecro te, per quem facta sunt o-  
 mnia, fili Dei, & idem qui factus es inter omnia fili  
 minimi? Quid, ut discamus a te, venimus ad te? Quia  
 mitis sum, & humilis corde. Hucine redacti sunt Coloss. 2.  
 omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi in  
 terra, ut hoc pro magno discamus a te, quoniam mitis,  
 & humilis corde? Itane magnum est esse paruum, ut  
 si a te qui tam magnus es, fieret, disci omnino non  
 posset? Ita planè: non enim aliter inuenitur requies a-  
 nima, nisi inquieto rumore digesto, quo magna sibi erat,  
 quando tibi sana non erat.

Idem Augustinus commendans nobis hu- Lib. 2. de  
pec. mer.  
cap. 21.  
 milem obedientiam erga Deum, loquens de  
 timidis parentibus; Seruiebant, inquit, Deo, ve-  
 nementer sibi commendata pietate obedientia, qua vna  
 placet Deo. Quae, per se ipsa, quanta sit, quamque  
 tanta sufficiat ad tuendam rationalem sub creatore crea-  
 turam, non potuit excellentius intimari, quam ut a li-  
 bro prohiberentur non malo. Absit enim ut bonorum  
 creator, qui fecit omnia, & ecce valde bona, mali ali-  
 quid, in illius etiam corporalis paradisi felicitate plan-  
 teret. Sed ut ostenderet homini, cui esset sub tali Domi-  
 nio utilisissima seruitus, quantum esset solius obedientia  
 num, quam solam de famulo exegerat, cui obedire,  
 non propter ipsius dominatum, sed propter seruientiam  
 utilis-

utilitatem, expediret; ab eo ligno sunt prohibiti quo se  
 uterentur, non prohibiti; nihil mali omnino paterentur,  
 ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis  
 ostenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxia  
 perniosa, sed tantum obedientia violata.

In Epist. ad  
 Celant.  
 2. Cor. 5.

Ad eandem obedientiam egregie nos hor-  
 tatur D. Hieron. *Hanc*, inquit, *a nobis & vox*  
*Christi, & sanguinis efflagitat; qui ideo mortuus est,*  
*pro omnibus, ut qui viuunt, iam non sibi viuunt, sed eo*  
*qui pro ipsis mortuus est. Viuere autem illi, non est aliud*  
*quam eius precepta seruare, qua nobis ille, quasi cer-*  
*tum quoddam dilectionis sue pignus, seruanda manda-*  
*uit. Si diligitis, inquit, me, mandata mea seruare.*

Ioan. 14.

Neque vero eorum se seducat error, qui ex arbitrio suo  
 eligunt, qua potissimum mandata Dei contemnunt,  
 quaeque quasi vilia & parua despiciant. Nec metuunt, ne  
 secundum diuinam sententiam, minima contemnendo,  
 paulatim decidant. Stoicorum quidem est peccatorum  
 tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare;  
 nec ullum inter scelus & erratum discrimen facere. Nos  
 verà etsi multum inter peccata distare credimus, tamen  
 satis prodesse ad cautionem ducimus, etiam minima pro  
 maximo cauere. Tanto enim facilius abstinemus à quo-  
 cunque delicto, quando illud magis metuisimus: Nec citò  
 progreditur ad maiora, qui etiam parua formidat. Es  
 sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere,  
 quod in Dei contemptum admittitur. Estque prudentis-  
 simus qui non tam considerat quod iussu sit, quam il-  
 lum qui iusserit: nec quantitatē imperij, sed imperantis  
 dignitatē. Haec Hieron.

Eccles. 19.

Iam de charitate D. Virginis erga proxi-  
 mum dicamus: quam in eo potissimum hoc  
 quidem loco ostendit, quod diligenter remo-  
 uerit

rit id, quod proximis offensionis ac ruinae  
causam præbere poterat. Quia enim my-  
rrum in ea operatione Spiritus sancti per a-  
m, nesciebant homines, facile quasi con-  
mptrix legis habita ab ijs fuisset, si non alia-  
more mulierum legem impleffet; sicut

Christus Dominus didrachma soluit, ta-  
et si ab eo soluendo esset immunis; *ne, inquit, Math. 17.*

*scandalisemus eos, qui scilicet, ignorant me esse*

*verum. Illud autem diligenter monet Apo-*

*ulus, ut non solum ab eo facto, quod reuera*

*re ac iniquum est, sed ab eo etiam, quod*

*ali speciem habet, sedulo abstineamus; hac*

*ratione salutis proximorum consulentes, ne*

*aliquid, aut mali speciem habens, a*

*obis fieri conspiciant, & nostro exemplo*

*aliquid peccatum committendum inci-*

*atur.*

*Coram cæco non pones offendiculum, ait Scriptu-*

*sacra; Coram cæco autem offendiculum ponere, in-*

*quit D. Gregor. est discretam quidem rem agere,*

*tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali-*

*ficationem præbere. Cum enim prava aestimatio, in-*

*uentum sine peccato valet, ab inuentum mente non*

*itur, cunctis malè credentibus, per exemplum culpa*

*pinatur; hinc est quod Apostolus immunda quadam*

*pollutione comedentibus, sed imperfectis tentatio-*

*scandalum sua comestatione mouentibus, dicit; Vi-*

*ue, ne forte hac licentia vestra offendiculum fiat in-*

*uis.*

*Imò tantam vult nos Dominus gerere cu-*

*n salutis fraternæ, ut si ex recto nostro fa-*

*cto videamus eum peccare, & a peccato suo*

*con-*

Math. 17.

1. Theff. 5:

Leuit. 14.

In Past.  
part. 3. ad-  
moni. 36.

Rom. 14.

1. Cor. 8.

conuertendus speretur, si bonum opus nostrum (non tamen necessarium) paululum vel intermissum, vel occultatum fuerit; debeamus illud intermittere vel occultare. Sic multa tacebat Dominus propter salutem discipulorum, ne scandalisaretur. *Adhuc, inquit, habeo multa dicere vobis, sed non potestis portare modo.*

Ioan. 16.  
1. Cor. 3.

Et eius Apostolus; *Quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non solidum cibum; nondum enim poteratis. Vitale est enim, inquit S. August. vt taceatur aliquod verum, propter incapacos.* Et alibi; *Si tantum pondus habet aliquod verum, vt vires discipulis excedat, suspendendum est, vt extendat crescentem, non imponendum, vt obterat paruulum.* Idem Augustinus acriter obiurgat Ediciam, quod non distulisset eleemosynas erogare in pauperes,

De Bon.  
Perseu. c. 16  
Quest. 11.  
in Matth.

Epist. 199.

unde eius maritus erat offensus; *An cuiusquam, inquit, tibi vita temporalium salus charior esse debuerat, quam mariti aeterna? Nonne si amplioremi misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres, ne scandalisatus maritus tuus Deo periret, vberiores tibi Deus eleemosynas impuaret?* Dicit Apostolus Paulus; *Si propter cibum frater tuus contristatur, aut offenditur; iam non secundum charitatem ambulas.* Ipse de se; *Si esca scandalisat fratrem meum non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalisem.*

Rom. 14.

1. Cor. 8.

Quam autem graue sit peccatum, alteri præbere occasionem scandali, ex Euangelio clarum est, vbi dicitur: *Quod Angeli in die Iudicij colligent omnia scandala de regno Dei, & mittent ea in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium.*

Matth. 19.

Matth. 18.

Et quod expedit ei qui scandalum præbet, vt suspendatur

CAVET



in mola asinaria in collo eius, & demergatur in undum maris. quod dicitur, inquit S. Hieron. undum ritum Prouincia illius, quo maiorum criminis apud veteres Iudeos, pena fuit, vt in profundis, ligato saxo, demergerentur. Balaam filium & gladio Israelitæ peremerunt, ob scandulum populo obiectum; Cum enim debilitate Dei populum maledicendo fuisset proptus; consilium Moabitarum Regi iugulit, vt productis in conspectum ornatu & retificio mulieribus, in nefandas libidines num ad eas populum proliceret; quod eoto & ad cultum idolorum pertrahere imis amoribus, atque illecebris irretitos, & cere, iam Deo ob impietatem exosos, fapossit. Quin & Moyfes indignissime turparitum esse mulieribus, quæ ipsos veis vinctos catenis in idololatriam, & n Dei protraxissent.

In illum  
locū Matth.

Numer. 31.

Narrat D. Gregor. Presbyterum quendam rentium D. Benedicti æmulum, ruina soij in quo stabat, reliqua domo integra periente, subitò extinctum, quod nudas pusufratribus obiecisset, quo in libidinem licerentur. Meritò graues admodum pœtimebat sibi Berengarius hæresiarcha, qui nus docuit, in Eucharistia non esse realicorpus Christi, nimirum ob scandala quæ lesiæ dederat; Cùm enim graui morbo reffus, migrandum sibi sentiret, sinceræ itentia signa præ se ferens, hæc eum verultis cum suspirijs protulisse narrat, Cantur. Parisiensis; *Deus meus hodie mihi appare-*

Lib. 2. Dist.  
cap. 8.

Parte 4.  
cont. Rom.  
de Rosa.

bis, (alludens ad nomen Epiphania, cuius tunc festum agebatur) aut ad meam saluationem, ut spero, propter poenitentiam meam; aut ad duram meam damnationem, sicut timeo, propter eos quos peruersa mea doctrina decepi, quos nequius reducere ad veram viam Sacramenti tui. Si Christus, inquit Bernard. proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandalosi occasione, auertit ab eo animas; quam a Iudeo, qui sanguinem illum fudit?

Matth. 18.

Hanc rationem vrget ipse Christus, deterrens a scandalo pusillorum. Videte ne contemnitis vnum ex pusillis istis; Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in caelo est. Magna dignitas pusillorum, in quorum custodiam ab ortu Natiuitatis Deus Angelos destinauit; sed excedit omnia, quod ipse Deus vt eos redimeret ad infirmitatē carnis, acerbiter mortis, ignominiam crucis se demiserit: Venit, inquit; filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat. Quam rationem & ipse Apostolus diligenter considerans; Noli, inq. cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et, Peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.

Rom. 14.  
2. Cor. 8.

Sancti verò homines Dei, maximè semper solliciti fuerunt de cauendo omni scandalo, (etiam passiuo, vt vocant) quantum sine peccato poterant; in proximis illam naturam diligentes, quam ad imaginem & similitudinē suam fecit Deus; imò quam per incarnationem suam fecit Deus, ob quam perditam

saluan-

saluandam tanta fecit ac pertulit Deus. Illustre est exemplum Eleazari senis, qui per varia ac immania tormenta mortem oppetere maluit, quam vel simulare esum carniū lege vetitarum. *Non enim aetati nostra dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentes, arbitantes Eleazarum 90. annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter nodicam corruptibilis vite tempus decipiantur. Quamobrem fortiter excedendo, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam fortiter pro sanctissimis Dei legibus moriendi.* 2.Mach.6.

Apollolus Paulus Cephæ in faciem restitit; quoniam reprehensibilis erat, nec ad veritatem Euangelij ambularet, propterea quod per suam simulationem scandalo esset Gentibus, quas cogebat Iudaizare, non precipientis imperio, inquit D. August. sed conuersationis exemplo. Eos qui scemibus nimium adhærebunt acriter reprehendit Cyprian. dicens, *Et si stuprum conscientie eorum sit, hoc ipsum tamen grande crimen est, quod illorum scandalo, in aliorum ruinas exempla pateant.* Vnde & August. dicere solitus; *Nunquam debere feminas in seruis Dei etiam castissimis in vna manere domo, ne quod scandalum aut offendiculum hoc tali exemplo neretur infirmioribus, hinc nec ipse passus est fornicari aut ne pres suas secum commorari, propter periculum scandali quod oriri posset, si non propter ipsas, saltem propter eas que ad illas ventitarent, ex quibus possent oriri suspicio.* Galat. 2. Epist. 19. ad Hieron. Epist. 7. Possid. in V. 12. c. 26.

Iustina virgo pulchritudinem suam, qua at insigni, & ob quam ad impudicitiam llicitabatur, ieiunijs, vigilijs, humicubationi-

M tioni-

Orat. 13.

In histor.  
Lauf vit. 5.

tionibus, tabefecit & obscuravit, quo materia subtractione, flamma libidinis in amatore consumeretur, refert D. Greg. Nazianz. De Alexandra Virgine narrat Palladius D. Hieron. contemporaneus, ne periret adolescens, qui eius infano amore tenebatur, quod fugiens conspectum omnium per annos 12. monumento se inclusit; Rogata enim causam à Melania seniore quæ eam inuisebat; *Malui*, respondit, *me viuam in hoc monumentum inferre, quam animam, quæ facta est ad Dei imaginem, offendere.*

In exhort.  
ad Virg.

Soteris, inquit D. Ambrosi. Virgo decora facie valde, & nobilis maiorum profapia, immolare iulla, non acquieuit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, vt tenera virgo, dolori cederet aut pudori. At illa vbi hanc vocem audiuit, *vultum aperuit, & volens iniuria occurrit, vultum offerens, vt ibi Martyrii fieret sacrificium, vbi solet esse tentamentum pudoris.* Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Est in Prato spiritali, (libello magnæ authoritatis, citatur enim in Conc. Nic. 2. ante annos 800.) de Virgine admodum religiosa, quæ cum a quodam adolescente, Diabolo intligante, impudicè amaretur; Diaboli sentiens insidias, ac adolescentis perditionem miserata, fugit ad eremum; *adolescentis ex recessu suo quietem à tentatione, ac salutem parans, & sibi ipsi ex solitudine, securitatem & augmenta meritum.*

Cap. 60.

Mirabilius est, quod ibidem refertur de alia quadam admodum pia, ex cuius aspectu, cum adolescens, totus in eius cupiditatem inflam-

laminaretur, essetque eidem valde importu-  
 us: Tandem accersito eo, quæsiuit; *Quidnam  
 me pulchrū vidisti, quia sic me amas? At adolescentis,  
 cætos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò ve-  
 aduit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto cul-  
 llo mox illos eruit, ut scandali occasionem amoueret.*  
 qua re compunctus animo adolescens, ac se-  
 nio renuntians, effectus est probatissimus  
 eligiōsus. Iuuenem Hetruscum veteres fabula fe-  
 nt, inquit D. Ambr. cum ob admirandam oris  
 opri pulchritudinem, in amorem accenderet fœminas,  
 gmatibus inarasse vultum suum, ne qua eum adama-  
 posset. Quod ipsum Valer. Max. ita narrat:  
 dolescens in Hetruria excellentis pulchri-  
 dinis, cum mira specie complurium fœmi-  
 rum illustrium sollicitaret oculos, ideo-  
 te viris ac parentibus earum se suspectum  
 se sentiret, oris decorem vulneribus confu-  
 t; deformitatem malens esse sanctitatis suæ fidem,  
 am formam alienæ libidinis irritamentum.

In exhorta-  
 ad Virg.

Lib. 4. c. 51

Notent hæc Christiani diligenter, siue fœ-  
 inæ, siue viri, qui ita se per omnia compara-  
 videntur, ut verbis, oculis, nutibus, habitu,  
 cessu, multisque alijs modis, oculos ac ani-  
 os aliorum sollicitent, eosque ad amores  
 rpes, libidinosaque desideria accendant;  
 que & seipso & alios in æternam damna-  
 onem præcipitent. Quibus ita Tertullian. De cultu  
 id alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscen- fœmin.  
 in importamus? Quid alteri gladium, quo se iugules,  
 rigimus? Nescio an impune abeat, qui alicui est  
 isa perditionis. D. quoque Cyprian. Si tu te De habita  
 optuosius comas, inquit, & per publicum notabili- Virg.

ter incedas, oculos in te aliorum illicias, concupiscenti  
libidinem nutrias, gladium te, & venenum videntibus  
prabeas, vt etsi ipsa non percas, alios tamen perdas,  
excusari non potes, quasi mente casta sis & animo  
pudica.

Epist. ad  
Furiam.

Sic & D. Hieron. *Quid facit in facie Christiana  
purpurissus & Cerussa, quorum alterum ruborem ge-  
narum, labiorumque mentitur, alterum candorem oris  
& colli: ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudica  
mentis induta.* Quæ tamen ad foeminas à Patri-  
bus dicantur, etiam tamē ad viros pertinent,  
quorum est foeminas virtute vincere, & exemplo antei-  
re, inquit D. August. *Quia viri sunt, magis debent  
illicitas concupiscentias viriliter frenare: quia viri sunt,  
magis debent foeminis virtutis exemplum prabere, quia  
viri sunt, minus debent libidine superari, quia viri sunt,  
minus debent lasciuienti carni seruire.* Ita August.

De adult.  
coniug. lib.  
2. cap. 8.

Finem dicendi faciam, ne vobis longiori  
sermone tædium adferam, commendans  
vobis has duas virtutes imitandas in Sanctis-  
sima Virgine. Si enim author non displicet, inquit  
D. Ambros. *opus etiam probemus oportet, vt qui-  
cunque eius sibi exoptat pramium, imitetur exemplum.*

Lib. 2. de  
Virg.

MONI-

## MONITVM XVII.

*Mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror, nomine Maria.*

LUC. 10.

BERNARD. Christi, inquit, generationem, & Maria Assumptionem quis enarrabit? quantum enim gratia in terris adepta est plus ceteris, quantum & in calis obtinet gloria singularis. Nec cessaret à laudibus humana mortalitas, cum hominis solitura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine. Inde etiam canit Ecclesia; Exaltata est Sancta ei genitrix super choros Angelorum ad caelestia regna. Ad quoniam quantum illud sit supernae felicitatis bonum, ad quod euecta est Virgo Maria, animo & cogitatione comprehendere non possumus, operæpretium erit diligenter considerare, qua via ad tantam gloriam peruenit, ut & nos eandem incedentes, similes aliquando consequi possimus. Id verò vobis Euangelij verba mysticè intellecta aliunde declarant. Exceptus est Dominus in domum Bethaniae, quam duae sorores Martha & Magdalena inhabitabant; exceptus est Dominus in vterum Deiparae, quam duae vitae activa & Contemplatiua egregie ornabant. asce enim duas foeminas, duas nobis vitas

serm. 1. &  
4. de Al-  
lump.

Ser. m. 27.  
de Verb.  
Dom.

significare testatur D. Aug. *In duabus, inq. feminis dua nobis vita significansur; amba innocentes, amba laudabiles; vna laboriosa, altera otiosa; nulla facinorosa, nulla desidiosa; nulla facinorosa, quam cauere debes laboriosa; nulla desidiosa, quam cauere deber otiosa.*

Magdalena, quæ *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, Contemplatiuam nobis re- præsentat, qua homo per orationem, meditationem, lectionem sacram, similiaque exercitia spiritualia se Deo coniungit, ac rerum Diuinarum contemplatione, in eius cultum amoremque excitat. Martha verò, quæ *sagebat circa frequens ministerium*, Actiuam nobis ob oculos ponit, qua quis suæ vel alienæ miseræ ac necessitati, seu spirituali seu corporali, quæ varia ac multiplex est, subuenit & opitulatur.

Luc. 1. & 2.

Vtramque in se habuit Virgo sanctissima, vtramque diligenter exercuit. Ad actiuam pertinet, quod Christum Dominum in utero suo suscepit ac portauit, quod editum in lucem vberibus suis aluit, & secundum corpus enutriuit, quod perditum iam duodennem sollicitè quæsiuit, & inuenit. Deo iam foeta, actionis amore, Ad Elisabeth cognatam, senem ac prægnantē, ei congratulatura & obsecutura, properat; & quæ obsequij causa venerat, quasi tribus mensibus in obsequio perseuerabat. Pia misericordia, quæ vitæ actiuæ est, a filio impetrauit in nuptijs, vt aqua in vinum conuerteret, sicque indigentibus subueniretur. Ad Christum prædicantē cum cognatis accessit, vt eos ipse prudēti suo con- filio

Ioan. 2.



filio, benignisque admonitionibus, ad pietatem adduceret. Denique ut cum Christi discipulis pro Spiritus sancti aduentu in totam Ecclesiam, orationibus inlisteret, misericordia item causa fuit. Matth. 12.  
Astor. 1.

Quam autem dedita fuerit contemplationi, aliquot etiam è Scripturis exemplis demonstrari potest. Inuenit eam solam in penetralibus Angelus Gabriel, cum altissimum ei Incarnationis mysterium annuntiaret, utique oratione occupatam, Deo intentam; sicut inuenit Daniele & Zachariam Prophetas, orantes, cum eis de Christi aduentu loqueretur. Festina ad Elisabeth iuisse describitur, quod propter orationis & contemplationis studium in secreto, quam in publico esse malebat; sciens solitudinem ad res magnas sublimesque animo agitandas esse oportunissimam. Daniel.  
Luc. 1.

*Maria*, inquit Euangelista Lucas, *conseruabat omnia uerba hæc*; omnia condebat animo, suo tempore pertractanda, ruminanda, contemplanda; *Conferens in corde suo*, conferebat enim secum ea quæ sunt acta de Domino, Luc. 2.  
In cap. 2.  
Luc. (ut dictum est antea ex V. Beda) cum his quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino; & collata adinuicè, instar cœlestiū Cherubim, socia sui vultus luce concordia cognouit.

Quantam verò deuotionem, quantam in Deum spem, quantumque Dei amorem ex continua huiusmodi rerum contemplatione & collatione conceperit, quis explicet? Verissimè cum Propheta dicere potuit; Psalm. 38.

*Concauit cor meum intra me, & in meditatione mea exarscit*

*ignis*. Sicut enim ignem ligna nutriunt, sic cogitationes desideria pascunt; quæ si fuerint malæ, exardescit ignis cupiditatis; si verò fuerint bonæ, exardescit ignis charitatis. Vera ergo fuit arca testamenti Virgo Maria, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis Domini; intrinsecus ornata cogitationibus sanctis, & rerum Diuinarum contemplatione; extrinsecus exemplis bonorum operum, quibus & Deo placere, & proximo subuenire studebat. Hæc est via, ambulate in ea.

Vtramque enim hanc viam, seu vitam, cui libet Christiano ad æternam, cum D. Virgine societatem aspiranti, conuenire; vtramque pro modulo suo quemque colere, ac exercere debere, Scripturarum testimonia, & Sanctorum nobis exempla ac monita declarant. *Non sis ita otiosus*, inquit D. August. *ve in eodem otio vtilitatem non cogites proximi; nec sis ita actuosus, vt contemplationem non requiras Dei. Otium sanctum queris dilectio veritatis, negotium iustum suscipias necessitas dilectionis. Tempus amplexandi*, inq. Sap. *tempus longè fieri ab amplexibus*. Quæ sententia tribus modis rectè intelligi potest, 1. vt pertineat ad duos populos, veterè & nouum; Tempus enim veteris testamenti tempus fuit amplexandi, inquit August. propter propagationem & conseruationem populi Dei: cessante autem illa necessitate, cum iam vndique suppetat filiorum Dei copia, tempus noui Testamenti; tempus est continendi, & longè fieri ab amplexibus. 2. vt ad eos pertineat, qui Matrimonio sunt coniuncti: meminisse enim debent,

Exod 25.

Lib. 19.  
cap. 19.  
Ciuit.

Ecclef. 3.

Lib. 1. de  
Nupt. c. 13.

debent, non ita eos frena laxare debere libidini, sicut equus & mulus faciunt, quibus non est intellectus; sed interdum a mutuo complexu abstinendum, quemadmodum monent Apostoli Petrus & Paulus, ut orationi, ieiunio, aliisque rebus spiritualibus melius vacare possint, *Intemperans enim coniugio*, inquit D. Ambrosius. *quid aliud, nisi adulter quidam vxoru est?* Et D. Hieron. loquens de amplexu conjugali, *Quale*, inquit, *bonum est, quod orare prohibet, quod Christi corpus accipi non permittit?* Tertio denique ut pertineat ad vnumquemque Christianum; Tempus amplexandi sponsum cælestem brachijs charitatis, per exercitia vitæ contemplatiuæ, orationis, meditationis, lecturæ, & similibus: Et Tempus longè fieri ab amplexibus, dando operam actionibus, quibus vel proprias vel alienas miseras ac necessitates subleuamus.

Sic Propheta Iob; *Si dormiero, dicam, Quando consurgam? & rursus expectabo vesperam. Quiescens enim in vespera contemplationis*, ait D. Bern. *mane desiderabat, quo surgeret ad actionem; rursusque negotijs fatigatus, expectabat vesperam, libenter repetens otia contemplationis.* Propheta Moyses intrat in tabernaculum Domini, & exit; *Intrat*, inquit D. Gregor. *ad Deum, exit ad proximum; intus ad Dei contemplationem & amorem rapitur, foris necessitatibus hominum iuuandis vigeat.* Apostolus Paulus excedit & sobrius est; *Excedit*, ait idem Gregor. *semetipsum per Dei contemplationem & charitatem transcendens; sobrius est hominibus condescendendo, & subueniendo, semetipsum temperans.* De D.

Psal. 31.

1 Pet. 3.

1 Cor. 7.

Apud Aug.

lib. 2. in

Iulian

lib. 1. in

Iouinia.

Iob 7.

In Cant.

Ezech. Reg.

In part. par-  
te 2. c. 5.

2. Cor. 5.

Ibidem in

Pall.

Lib. 6. c. 3. Ambrosio refert D. August. in Confess. quod seruebat infirmitatibus negotiosorum hominum, cum quibus quando non erat, aut corpus reficiebat necessarijs sustentaculis, aut lectione animum; quam sapida autem gaudia de pane isto ruminabat, nec noueram, nec expertus eram. De seipso vero, Hoc me delectat, inquit, audire veritatem, docentem & iubentem, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio.

Lib. 16.  
cap. 40.

Cant. 5.

Traçt. 57.  
in Ioan.

Sponsa in Canticis loquitur; Ego dormio, & cor meum uigilat, id est, ut August. Ita quiesco, ut audiam. Otium meum non impendo nutrienda desideria, sed percipienda Sapientia; Ego requiesco a negotiosis actibus, & animus meus diuinis se intendit affectibus.

Cant. 2.

In Cantica.

Rursum, ne ibi remaneret, audit sponsam dicentem; Surge amica mea, columba mea, formosa mea, & ueni. Amica, ait Willeramus Abbas, per fidem & dilectionem; columba, per innocentiam; formosa, per virtutum decorem; surge de dulci somno contemplationis, orationis, lectionis; & ueni, id est, prode ad utilitatem proximorum, per predicationis officium, & exempla bonorum operum.

August.  
cōtra Faust.  
Gregor.  
in epist.  
Bern. in  
Cant.

Iacob Patriarcha, duas sorores habebat uxores, Liam & Rachelē, quæ etiam utramque hanc vitam, de qua agimus, significabāt (ut Patres docent) quas non libidinis, sed liberorum causa, statis temporibus, iustisque vicibus cognoscebat, ac utebatur; Sic & quisque fidelis utramque hanc vitam amare, utramque sibi quasi arctissimo vinculo copulare, utramque statis temporibus, iustisque vicibus cognoscere ac exercere debet. Illa est optima gubernatio, inquit Augustinus, ut omnia suis temporibus

De op.  
Monach.  
cap. 18.

*oribus distributa, ex ordine gerantur, ne humanum  
nimium turbulentis implicationibus perturbent.*

Audite, quid D. Hieron. Celantiam Ma-  
ronam nobilem, rationem pie ac sanctè vi-  
lendi ei tradens, moneat ac hortetur, &  
vnusquisque sibi id dictum arbitretur. Eligatur  
ibi oportunus, & a familia strepitu aliquantum remo-  
tus locus, in quem velut in portum ex multa curarum  
tempestate, te recipias, & excitas foris cogitationum  
fluctus, secreti tranquillitate componas; tantum ibi sit  
diuinæ lectionis studium, tam crebra orationum vices,  
tam firma & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reli-  
qui temporis occupationes, facillè hac vacatione com-  
penses. Nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus à tuis,  
imò id agimus, vt ibi discas, ibique mediteris, qualem  
tuis præbere te debeas. Ita Hieron. Cui consonat  
sententia D. Augustini, quæ est apud S. Pro-  
sperum; Qui otiosus & quietus Deum non cogitat,  
quomodo inter actus multos, & laboriosa negotia, de  
illo poterit cogitare? Meditetur ergo quæ Dei sunt fide-  
lis, cum vacat; & operandi substantiam querat, ne in  
actione deficiat.

In epist. ad  
Celant.

Sent. 218.

Fuerunt hæretici Euchitæ, ab orando sic  
dicti, vt refert D. August. Nam cum Dominus  
dixerit in Euangelio: Oportet semper orare  
& non deficere: Et Apostolus eius Paulus,  
Sine intermissione orate; quod sanctissime sic  
accipitur inquit August. vt nullo die certa inter-  
mittantur tempora orandi: illi ita nimis hoc faciunt,  
vt hinc iudicentur inter hæreticos nominandi. Dicuntur  
opinari Monachis non licere sustentanda vitæ causa  
aliquid operari, atque ita seipso Monachos profiteri, vt  
omnino ab operibus vacent. Quales etiam ipsius  
tem-

Hæresi 57.  
Luc. 18.

Colof. 4.

tempore fuerunt, qui graues in Ecclesia turbas excitarunt; contra quos instinctu Aurelij Episcopi Carthaginensis, scripsit librum de opere Monachorum; sic & Cassianus admodum imperite dicit, ( vt multa alia ) peccasse Apostolum Paulum, dum manibus laboraret; peccare item eos, qui oppressos defendunt, aut necessarij victus curam gerunt, quoniam, videlicet, Deum non contemplantur.

Collat. 23.

Imo ex ipso dilectionis præcepto tenetur homo quandoque à cogitatione de Deo abstinere, vt miro modo ex Dei amore Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab amando cessat. Sicut ex iudicio rectæ rationis debet homo assumere somnum, & cessare ab usu rationis, & sic recte agit, dum nihil agit.

Serm. 51.  
in Cant.  
I. Cor. 13.

Quantò rectius D. Bernard. *Charitas*, inquit, *qua non quarit qua sua sunt, iamdudum id mihi facile persuasit, nil desiderabilium meorum, vestris præferre utilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & si qua sunt alia spiritualis studij lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimere. Patienter auellor ab infæcunda Rachelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberent fructus profectiuam vestrorum.*

Præcipiunt ij qui de officijs scripserunt, vt studijs officijsque scientiæ præponamus ea, quæ sunt iustitiæ, quæque pertinent ad hominum vtilitatem, qua nihil homini debet esse antiquius. Cuius quidem rei Cicero tantam voluit haberi rationem, vt quamquam Platoni suo plurimum tribueret, tamen videndum esse moneret, ne non id esset fatis, quod apud

apud illum reperiretur, in Philosophos dictum, propterea iustos esse eos, quod in veri inuestigatione versentur; nimirum animaduertebat, ex varijs generibus hominum qui scire desiderant ( de quibus S. Bernard. in Cant.) id solum probandum, quod scire cuperet vt prodesset.

Serm. 35.  
in Cant. 4

*Sunt, inquit Bernard. qui scire volunt, tantum, vt sciant, & turpis curiositas est; alij scire volunt, vt sciatur ipsi, Persiano illo delectati, Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter, & turpis vanitas est. Sunt alij qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, & turpis quasius est: Alij scire volunt, vt adificentur, vel vt adificent, & prudentia est ac Charitas. Vnde & Aristoteles voluit liberalibus disciplinis non nimis indulgendum, nec immorandum penitus, ciuilem hominum vitam vtilitatemq; respectans. Etenim qui totus speculationi, ac literarum illecebris immerfus est, is quidem sibi ipsi potest esse iucundus, at alijs certe parum vtilis est, aut princeps aut priuatus. Hinc & Atticus apud Ciceronem querebatur Varonis musas mutas esse, aut si non conticisset ille, tamen scribi dicebat ab eo quæ celari vellet.*

D. Thomas Scholasticorū Princeps, agens *In 2. 4.* de æstimanda dignitate Religionum, eas primo loco collocat, quæ ad vtilitatem proximorum, ad prædicandum dico & docendum, referuntur; Quoniam cum huiusmodi opera ex abundantia contemplationis promanent, vtrumque bonum tum contemplationis, tum actionis coniunctum complectuntur. *Bibe a-*  
*quam*

- Proverb. 5. *quasi de cisterna tua & fuentia putei tui, inquit Sap. quod pertinet ad studium contemplationis; moxque subiungit; Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide, quod pertinet ad actionem, & aliorum utilitatem. Praeclare Cicero, Pro Archia Pœcia, Pudeat, inquit, eos, qui ita se in studijs abulderunt, ut ad vitam communem nullum fructum proferre possint. Et Quintilianus, ipsam orationem conceptam in animo, inclusamque sine elocutione, dicit esse quasi gladium in vagina reconditam. Non sufficit scire sapientiam, inquit D. Hieron. nisi & alios erudias, tacitusque sermo doctrina aliam non edificans, mercedem operis recipere non potest; iuxta illud Sapientis, Sapientia abscondita, & thesaurus in absco, qua vultus in visis que?*
- Lib. 10. cap. 33. Refert Historia Tripartita de quodam Diacono nomine Benjamin, quod cum ab impio Rege dimissus esset hac lege, ne deinceps Christi doctrinam prædicaret; Impossibile esse, respondit, ut non communicaret alijs lumen, quod ipse percepisset. Secutus exemplum Sapientis, qui Sap. 7. Sapientiam, inquit, sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. Narrat ite n Theodoretus, quod Ammianus Eusebium, qui se in solitudinem abdidit, monuerit; videret, ne plus se ipsum quam Deum diligeret, qui omnem curam ac inultriam in sui plus profectum consumeret; Nam si verè Deum amaret, profectò curaturum; ut complures secum efficeret eiusdem amatores. Ipse August. de se tempore conuersionis; Conterritus, inquit, peccatis meis, & mole miseria mea, agitaueram in animo, medicatusque suæram fugam in solitudinem; sed
- Sap. 7. probi-
- In Histor. Religiosa.
- Lib. 10. Cap. vlt.



prohibuisti me ( Domine ) inquit, & confirmaſti me, di- 2. Cor. 5.  
cens; Ideo pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui  
uiuunt, iam non ſibi uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus  
eſt, & reſurrexit.

Quæ cum ita ſint, hanc viuendi rationem  
vt & Deo per contemplationem intendamus,  
& proximo per actionem ſubueniamus, ad  
exemplum ſanctiſſimæ Virginis, diligenter  
inſequamur: atque vt id magis ſedulo præſte-  
mus, ante oculos ſemper verſetur viſio Patri- Genef. 28.  
archæ Iacob, qua alternatio iſta operum, ac  
officiorum viciffitudo egregie demonſtratur.  
*Vidit Patriarcha Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram,  
& cacumen eius tangens cælum, Angelos quoque Dei  
aſcendentes & descendentes per eam, & Dominum in-  
nixum ſcala.* Qua viſione ſignificatur opus at-  
que officium quod exercent ſancti, quamdiu  
in hac mortalitate peregrinantur ( vt docet In Pfal. 44.  
S. Auguſt. ) Angelis hic ſimiles, æquales eis  
futuri in regno cælorū. Aſcendunt ad Deum  
qui ſuſum eſt, cogitationibus & deſiderijs  
ſanctis; descendunt ad proximum qui deor-  
ſum eſt, operibus miſericordiæ & charitatis.  
Deo, qui in cælo eſt, ſtudent in omnibus pla-  
cere; proximo, qui in terra eſt, ſtudent in o-  
mnibus ſubuenire. Et Dominus innixus eſt  
ſcala, vt conſideret quomodo quiſque ſuo  
officio incumbat, vt laborantes ſuo prouocet  
aſpectu, laſſis manū porrigat, & in opere fer-  
uentibus ac perſeuerantibus æterna in cælis  
præmia largiatur.

Vide Hiſ-  
rō. in epiſt.  
ad Iulianū

## MONITUM XVIII.

*Maria sedens secus pedes Domini, au-  
diebat verbum illius, Martha  
autem satagebat circa fre-  
quens ministerium.*

LUC. IO.

**Q**uanta sit vitæ cœlestis gloria, quanta be-  
nignitas, ad quam hodie assumpta est Vir-  
go Sanctissima, ac Dei mater, mente & cog-  
itatione assequi nemo potest. Vno verbo  
insinuat eam Deus, quando Moyfi petenti  
ab eo, *Ostende mihi gloriam tuam*; respondit, *Ego  
ostendam tibi omne bonum*. Et Apostolus eius lo-  
quens de futuro seculo; *Erit, inquit, Deus omnia  
in omnibus*. *Quacunque videlicet ab omnibus honestè  
desiderantur*, inquit S. Augustinus, *& vita, & sa-  
lus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, &  
omnia bona*. Hic, ait idem, *quod aurum est, non po-  
test tibi esse argentum, quod vinum est, non potest tibi  
esse panis, quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus  
totum tibi erit; Manducabis eum, ne esurias; bibes  
eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne cæcus sis; fulcie-  
ris ab eo, ne deficias.*

*Hæreditas futuri seculi, inquit D. Prosp. qua  
seruatur nobis, in qua coheredes sumus Christi, non  
minuitur multitudine filiorum, nec fit angustior nume-  
rositate*

Isod. 33.

1. Cor. 15.  
De Ciuit.  
lib. vi.  
cap. vlt.  
In Psal. 36.  
Conc. 1.

Sent. 198.

*rositate coheredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.* Quo summo bono tanto amplius perfectiusque D. Virgo fruitur in cælis, quanto reliquis omnibus vitæ bonæ meritis præcelluit in terris; Tanquã Magdalena, sedula diuinarum rerum contemplatione detenta, qua seipsam in Dei laudem & amorem excitabat; veluti Martha fatagens circa frequens ministerium, quo proximorũ commodis ac vtilitatibus seruebat: vti præcedenti sermone satis à nobis est demonstratum.

Nunc vero ad vtriusque vitæ opera, Actiuæ & Contemplatiuæ, per duas sorores significatæ, omnes omnino homines aliquo modo teneri, qui velint beatitudinis æternæ cum Sanctis. Virgine esse participes, paucis declarandum. Ac marthæ quidem officium, quo videlicet, proximis subuenitur, necessarium esse, docet nos Ioannes Baptista: *Qui* Luc. 34  
*interrogatus à turbis, Quid faciemus? respondens dicebat illis; Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter facias. Singulis generibus hominum, inquit D. Ambros. conueniens tribuit re- In cap. 36  
Lucæ.  
*sponsum, vnum omnibus. Publicanus, ne vltra prescriptum exigant; militibus, ne calumniam faciant, ne pradam requirant. Sed hac & alia officia propria singulorum, misericordia, communis vsus; ideo commune præceptam, omnibus officijs, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola, vel urbanus, diues & pauper; Omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti.**

N

Et

Serm. 45.  
in Nou. Ser.

Et S. August. *Inde vnusquisque quod habet, præstet alteri, alius habet pecuniam, pascat pauperem, vestiat nudum, adificet Ecclesiam; operetur de pecunia, quicquid boni potest. alius habet consilium, regat proximum, pellat tenebras dubitationis, luce pectoris. Alius habet doctrinam, erogat de cellario Domini, ministret conseruis cibaria, confortet fideles, reuocet errantes, quarat perditos, quantum potest, faciat. Est quod sibi etiam erogent pauperes; alius claudo pedes, accommodat, alius cæco suis oculos duces præbeat: alius visitet infirmum, sepeliat mortuum. Sunt ista in omnibus, vt prorsus difficile inueniatur aliquis, qui non habet vnde alteri aliquid præstet.*

Tob. 4.

Docebat Tobias filium suum; *Quomodo potueris esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter imperturi stude.* Et Petrus Apostolus, omnes Christianos monet; *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei.* Et ipse Dominus in Euangelio, vnumquemque rerum suarum non possessorem, sed dispensatorem esse pronuntiat; vt intelligat bona Domini non prodigenda, aut pro libitu expendenda esse, sed iuxta voluntatem donantis, legesq; ab eo præscriptas. Vnde præclare D. Leo, *Muneribus Dei iuste & sapienter vtendum; merito enim rationem eorum quasiturus est, quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Sicut autem pereunt male condita, sic etiam pereunt insipienter exposita.* Ac mox quomodo sint dispensanda, ostendens; *Meminerit, inquit, homo, omnes affectus suos, hac lege dirigendos, vt nec a cultu recedat Domini,*

1. Petri. 4.

Luc. 16.

Serm. 4. de  
Collect.

Ibidem.  
Matth. 25

mini, nec ab utilitate conserui.

Graviter punitur seruus in Euangelio, qui seruaauerat quidem, sed non erogauerat talentum Domini; 1. inquit D. Prosp. vituperationis dedecoratur opprobrio, Serue male & piger; deinde, portione quam acceperat, exiuitur, Auferte ab eo talentum. 3. iubetur mitti in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Sic & August. Projicitur in tenebras exteriores seruus, non euersor ad perendum, sed piger ad erogandum. Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur qui cum pigritia seruaerunt?

Putatis hanc, quam ad exemplum sanctissime Virginis, proximis impendimus beneficentiam, seu misericordiam, exiguum à Domino consequi fructum? Ipsum Dominum audite loquentem, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et quis est tam perfecta absolutaque virtutu, vt misericordia Dei non egeat? Cum enim Rex iustus, sicut scriptum est, sederit in throno, non aduersabitur ante eum omne malum; Quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? ac per hoc etiam ibi misericordia Dei necessaria est. D. Hieron. tractās illud D. Petri; Vix iustus saluabitur; Certò, inquit, iustus est, qui vix saluatur in die iudicij; saluaretur autem facile, si nihil haberet in se macula; Ergo iustus est, in eo, quod floret multis virtutibus; & vix saluatur in eo, quod in quibusdam Dei indiget misericordia.

Et D. Augustinus; Numerus sanctorum per Dei gratiam Dei regno predestinatus, illuc integer perducitur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adherente sibi misericordia saluatoris sui, siue

Lib. 2. de  
voc. gent.

In Psal. 48.

Matth. 5.

Lib. 2. cõe,  
P. lag.

De co-rep.  
& grati.

— 11

cum conuertuntur, siue cum praeliantur, siue cum coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam, sancta Scriptura testatur, vbi S. Dauid, de Domino Deo suo dicit anima sua, qui coronat te in misericordia & miseratione. Dicit etiam Iacobus Apostolus; Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam; Vbi ostendit etiam in illo iudicio, in quo iusti coronantur, iniusti que damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia esse iudicandos. Propter quod etiam Mater Machabæorum, filio suo dicit, vt in illa miseratione cum fratribus te recipiam.

Hanc pro opere misericordiæ exhibito, precabatur Onesiphoro Paulus dicens; *Des illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die.* Eandem & Matri suæ iam defunctæ, pro simili officio precabatur D. August. alioqui, inquit, *Va etiam laudabili vita hominum, si remota misericordia discutias eam.* De Paula Romana, nobili vidua refert D. Hieron. quod *spoliabat filios, vt daret egentibus, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hereditatem, Domini misericordiam, dimittere loquebatur.* Et D. Cyprian. contra eos, quos retardat numerositas liberorû, quo minus largiter beneficentiæ operibus insistant; *At quin hoc ipso operari amplius debetis, inquit, quo multorum pignorum parentes estis; plures sunt pro quibus Dominum deprecemini, multorum redimenda peccata, multorum purganda conscientia, multorum anima liberanda.*

Christus in Euangelio dicit, se in extremo iudicio commemoraturum opera misericordiæ ab electis præstita, à reprobis prætermissa, *Tanquam dicens electis, inquit D. August. Difficile*

*est, vñ*

est, vt si examinem vos, & appendam vos, & diligentissime scruter facta vestra, non inueniam vnde vos damnem. Sed ite in regnum; non quia non peccastis, sed quia peccata vestra operibus misericordiae redemistis. Et reprobis, Ite in ignem aeternum; non inde, vnde putatu, ob scelera vestra; sed esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Si enim ab illis auerfi, & ad me conuerfi, illa operibus misericordiae redemissetis, ipsa modo liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absoluerēt. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et, Quis non misericordem sibi Deum facit, inquit D. Prosp. qui misericors erga laborantes vel errantes extiterit? Videtis, quanta sit nobis indicta necessitas, exercendæ beneficentiæ, quæ ad Martham, seu vitam actiuam pertinet, quæ certè, si vlla nobis nostræ salutis est cura, ad officium hoc præstandum vehementer incitare debet.

Matth. 5.

Lib. 3 de Vit. cont. cap. 28.

Ad Mariam, seu vitam contemplatiuam veniamus, in qua etiam diligentissime se exercuit Virgo sanctissima, vti alias, ostendimus; Scriptum est Iudæis, inquit August. vt animalia que sunt ruminantia, & fissa vngula, ipsa manducant. Quibus autem vtrumque vel alterum defuerit; non manducant: homines quidam significantur non pertinentes ad societatem Sanctorum. Fissa enim vngula ad mores pertinet, quia difficile labitur: lapsus enim, peccati signum est. Ruminatio autem ad Sapientie doctrinam, quia dixit Scriptura: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis; vir autem stultus glutit illum. Qui ergo audit, & negligentia sit obliuiosus, quasi glutit, quod audiuit, vt iam in ore non sapiat, auditionem ipsam obliuione sepeliens. Qui autē meditatur in lege Domini

Leuit. 11. Sermon. 54. in Nou.

Eccles. 31. Vide cont. Faust. lib. 6. cap. 7.

*die ac nocte tanquam ruminat, & in quodam quasi palato cordis verbi sapore delectatur.*

Talis quisque fidelis esse debet, ut cum audierit vel legerit verba Sapientiae, postea de illis sedulo cogitet ac expendat; & quod utile condiderit, ab intestino memoriae tanquam ad os cogitationis recordandi dulcedine reuocet, ac ruminet. Quod idem breuiter in sententijs dicitur; *Auditor verbi similis esse debet animalibus, quae ob hoc quia ruminant munda esse dicuntur; ut non sit piger cogitare de his, quae in aluo cordis accepit: & cum audit, sit similis edenti; cum verò audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti.* Prudenter monet D. Hieron. Celantiam Matronam nobilem; *Præcipua tibi cura sit, legem nosse diuinam, per quam possis quasi presentia cernere exempla sanctorum. Maximum enim ad iustitiam auxilium est, implere diuinis eloquijs animum, & quod opere exequi cupias, semper corde meditari.*

Habet certe ruminatio hæc, quam ad exemplum Sanctiss. Virginis faciunt sancti, varias utilitates. Primò enim, hac ratione prohibentur inutiles ac noxiæ cogitationes, quas otiosæ vel vacuæ menti Diabolus solet suggerere. *Cum enim duas res simul cogitare non possimus, sit ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda,* inquit D. Gregor. Si autem huiusmodi cogitationes accedant, facile abiguntur, cum iam alij hospites mentis nostræ domicilium occupauerint.

Deinde ita percipitur ac sentitur suauitas doctrinæ sacrae, seu rerum Diuinarum; de qua Psalm. 118. Propheta Dauid; *Quam dulcia faucibus meis eloquia*

Apud D.  
Prof. Sent.  
193.

In Epist. ad  
Celant.

In 1. Reg.  
lib. 3. c. 1.



quia tua, super mel ori meo? Et, *Narrauerunt mihi* Ibidem.  
*iniqui fabulationes, seu delectationes suas, ut legit*

August. quas habent in vanitatibus ac voluptatibus suis; *sed non ut lex tua;* suauiores enim ac solidiores sunt, quæ percipiuntur ex meditatione legis Domini. De qua & S. August.

*Affectiones habet tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus; & non habeant opera Dei, & non habeant meditationes Dei interiores quasdam affectiones suas?* In Psal. 76.

Ego, inquit Dominum alloquens de tempore suæ conuersionis, *non satiabar dulcedine mirabili* Lib. 9 C6f. cap. 6.

*considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani.* Et alibi; *Sunt quadam sancta delicia in libris, sunt gaudia spiritualia ex diuinis eloquijs scrutatis & inuestigatis, ex dulcedine inuentionis, quæ præcepit labor inquisitionis.* In Psal. 38.

Ex hac delectatione in meditatione percepta, sequitur alia vtilitas, quod homo iam incitetur ad ipsum bonum, quo delectatur, exequendum; Vnde Proph. Dauid; *Dominus* Psal. 83.

*dabit suauitatem (ita legit August.) & terra nostra dabit fructum suum.* Et alibi; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psal. 118.

*Cordis dilatatio, inquit D. August. iustitia est delectatio; sine qua non solum non perficitur, sed nec inchoatur bonum ex nobis.* In illum Psalmus conc. 8.

Hoc sciens idem Propheta, *Concupiui, ait, desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Lib. 2. c. 9. cont. 2. epist. Pelag.

*Possunt enim iustificationes Dei, id est, opera iusta, ratione mentis videri, & infirmitate anime non desiderari, inquit D. August. Videtur quippe, quam sint vtilis, ac salubres, nec tamen desiderantur, aus* In Psal. 118 rad. Conc.

*aguntur, quia non delectat ut agantur, & concupiscimus ut delectet. Prauolat intellectus, & tarde sequitur,*

*& aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus; ideo David, concupiscebat desiderare qua bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum videre potuit rationem.*

- Denique hæc ruminatio, seu mentis consideratio, hanc adfert vtilitatem, quod hominem etiam exurgente tentatione, in opere bono confirmet ac conseruet. *Scriptum est*, inquit August. *Cogitatio sancta conseruabit te.* Sed rem declaremus exemplis: Cogitatio præsentis Dei, conseruauit Susannam Matronam pudicissimam, ne tentationi succumberet, qua ad impudicitiam sollicitabatur, proposita etiam infamia, ac morte, ni consentiret; *Melius est mihi, inquit, absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Cogitatio potentis ac iustis Dei, conseruauit Eleazarum nonagenarium senem, ne tormentis cederet, cum iuberetur carnes porcinas contra legem Dei manducare, vel saltem hoc simulare, vt mortem & alias pœnas grauissimas euaderet. *Et si, ait, in presenti tempore supplicij hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec uiuus, nec defunctus effugiam.* Quid Machabæos fratres, varijs acerrimisque pœnis fecit superiores? *Cogitatio vtique futuræ remunerationis, ac gloriosæ resurrectionis; Quorum vnus constanter ad Tyrannum; Tu quidem scelestissime in presenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos, pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit.* Et alter linguam ac manus postulatus, vt amputarentur, cum fiducia aiebat; *E calo ista possidetis.*

deo sed propter Deileges nunc hac ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.

Denique cogitatio nouissimorum, Dauidem Regē conseruauit a graui lapsu ad quem propendebant pedes eius, cum videret afflictionem bonorum, & peccatorum pacem ac prosperitatem; *Existimaui*, inquit, *vt cognoscerem hoc*, id est, conatus sum hoc intelligere; Cur boni affligantur, mali prosperentur. *Labor est ante me*, id est, exorta est mihi difficilis quaestio; Et solui non potest, *Donc inirem sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum*; ibi enim,

Psal. 27.

inquit August. *cognoscebat & considerabat, totum genus humanum, omnem istam massam mortalitatis venturam esse ad examen, venturam ad libram, vbi appendentur opera hominum. Cuncta modo nubes inuoluit, sed Deo cognita sunt merita singulorum; ibi manifestabuntur; vt mali aeterna supplicia, boni vero aeterna recipiant premia.*

In Psal. 72.

Habetis paucis, quæ sit vtriusque vitæ utilitas ac necessitas; vtramque cum D. Virgine diligenter excolamus, vt & sollicitè conseruemus verba Sapientiae, eaque ruminando cum animo nostro pertractemus, quo is in Dei laudem ac amorem excitetur ac prouehatur. Nec erga proximos, *de quibus vniciquæ mandauit Dominus*, prætermittamus officia misericordiae, quibus & mutua charitas fouetur, & diuina Clementia conciliatur.

Ecclef. 17.

Hiscæ duobus pedibus, charitate, inquam, Dei & proximi, quæ in vtraque vita exercentur, post sanctiss. Virginem ad Deum curramus. *Vnde enim accedimus ad Deum*, inquit Aug.

In Psal. 33.

nisi fidem sectando, corde inhiando, caritate currendo? Pedes tui charitas tua est; Duos pedes habeto; Nolis esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo precepta dilectionis Dei & proximi; Quidus pedibus spirituales cerui incedunt, currunt, ambulant, tranfliunt omnia spineta huius seculi, vt perueniāt ad fontem vitæ æternæ.

Pfal. 138.

Hifce duabus pennis post eam ad Deum volumus. De quibus Propheta Dauid: Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Quid est extremum maris, nisi finis seculi? inq.

In Pfal. 138

Auguit. Nunc iam volumus spe & desiderio, habentes alas gemina charitatū. Non sit nobis requies, nisi in extremis maris. Nam si alibi requiem habere voluerimus, in mare precipitabimur. Volumus, quousque finiatu mare, suspendamus nos pennis gemina dilectionis. Ad Deum interim spe volumus, & illum finem maris spe fidei prameditemur, vt mens nostra de temporalis vitæ conclusionē sollicita, non iam vanis occupetur cupiditatibus, sed vtriusque vitæ, seu charitatis officijs intenta, ad promissiones Dei de hoc seculo feliciter valeat euolare.

MONI-

## MONITVM XIX.

*Exultauit spiritus meus in Deo  
salutari meo.*

LUC. I.

**T**anta est beatitudo iustitia, tanta incunditas lucis  
aeterna, id est, incommutabilis Veritatis ac Sapien-  
tia (qua nunc Sanctissima Virgo fruitur in  
cœlis) vt etiamsi non liceret amplius in ea manere,  
quam vnus diei mora, propter hoc, inquit S. August.  
solum, innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs, &  
circumfluentia bonorum omnium, rectè meritoque con-  
temnerentur. Non enim falso aut paruo affectu dictum  
est, Melior est dies vna in arrys. tuis super millia. Et,  
Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis  
ascenderunt quæ preparauit Deus diligentibus se. Ex-  
pendatur quid sit æternitas & consideratio  
felicitatis sanctorum, nos plane obstupefaciet,  
vt merito cum Propheta exclamemus,  
Deficit anima mea in atria Domini.

Lib. 3. de  
lib arb.  
cap. 25.

Psal. 83.

1. Cor. 2.

Psal. 83.

Sed quoniam in ista infirmitate moribun-  
dorum senum, deest nobis ille sensus altis-  
simæ purissimæq; Sapientiæ, quo tantum bo-  
num a nobis in hac vita sentiri possit, de pri-  
mitijs spiritus, de pignore seu arra salutis, de  
prægustu quodam æternæ beatitudinis, qui  
etiam in hac vita sanctis à Deo donatur, ne in  
ista siccitate vitæ, conditionisque mortalis  
penitus

penitus arefcant, paucis agemus. Tanta enim est iuftorum dignitas, vt etiam hic quodammodo in fe habeant vitam æternâ; teſte Apoſtolo Ioanne; *Vitam, inquit, habetis æternam, quoniam crediſtis in nomine filij Dei*: Imò ipſe Chriſtus in Euang. Apoſtoliſ ait, *Regnum Dei intra vos eſt*: Non quidem in ſua perfectione, ſed inchoatione & origine. *Regnum enim Dei, inquit Apoſtoliſ, eſt iuſtitia, gaudium, pax*: quæ ſancti incipiunt habere in terris, vt poſtmodum perficiantur in cæliſ.

1. Ioan. 5.

Luc. 17:

Rom. 14.

De Catech.  
rud. c. 16.

Dicit S. Auguſt. *Tu qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianiſ promittitur, quæriſ, etiam hic eam inter amariffimas huſus vita moleſtias, ſuauem, iucundamque guſtabiſ, ſi eiſ, qui eam promiſiſ, præcepta dilexeriſ*. Quam requiem, Sanctiſſimâ Virginem præ reliquiſ omnibuſ ſuauiſſimè in hac vita prælibaſſe, non dubium; cum præ cæteriſ omnibuſ Diuina mandata maximè dilexerit ac obſeruarit. Vt ergo de re propoſita exordiar: *Omnis iſte natura uſitatiffimſ curſuſ, inquit idem Auguſt. habet quaſdam naturaſ le-*

*ges ſuaſ, ſecundum quaſ & ſpirituſ vita qui creatuſ eſt, habet quofdam appetituſ ſuoſ determinatoſ quodammodo, quof etiam mala voluntas non poſſit excedere. Non enim potuit humana natura in omnibuſ malis ſuiſ amittere beatitudiniſ appetituſ; Et uſque ad eadẽ natura refugit falſitatem, & quantum poteſt, deuitat errorem, vt falli nolint etiam quicumque amantiſ fallere. Similiter nemo eſt, qui pacem habere nolit; ſicut & nemo eſt, qui gaudere nolit.*

De Gen. ad  
lit. li. 9. c. 17Lib: 10.  
Cap. c. 22.

*Sed intereſt, vnde quiſ gaudeat. Abſit enim Domine, inquit D. Auguſt. vt quocunq; gaudio gaudeam, beatuſ*

beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es; & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te. De quo Sanctus. Virgo, Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. quæ spiritus exultatio, affectus quidam est præsentis gratiæ, prægustus vitæ futuræ. Et in quo exultat, qui exultat in Deo salutari suo? (vtar verbis D. Aug. paululum immutatis) non in specie corporis, nec decore temporis, nec candore lucis, istis amico oculis, non in dulcibus melodijs suauium cantilenarum omnimodarum, non in florum & vnguentorum & aromatum suaueolentijs, non in mânia & melle, non in membris acceptabilibus carnis amplexibus; non in his exultat, qui exultat in Deo salutari suo. Et tamen exultat in quadam luce, quadam voce, quodam odore, & quodam cibo, & quodam amplexu, cum exultat in Deo salutari suo, Luce, voce, odore, cibo, amplexu interioris hominis, vbi fulget animæ, quod non capit, locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit satietas.

Lib. 10.  
Conf. c. 6.

De qua re idem alibi: Est sua species pulchris corporibus, & auro & argento, & omnibus, & in contactu carnis congruentia valet plurimum, caterisque sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum. Habes & honor temporalis & imperitandi atque superandi potentia suum decus. Et visa qua hic viuimus habet illecebram suam, propter quendam modum decoris sui, & conuenientiam cum his omnibus infimis

Lib. 2. contra  
Ies. cap. 5.

firmis pulchris. Amicitia quoque hominum charo nodo dulcis est, propter unitatem de multis animis. Pulchra sunt haec imago & decora, sed praeter bonis superioribus abiecta & iacentia; habent delectationes suas, sed non sicut Deus, qui fecit omnia, quia in ipso delectatur iustus, & ipse est delicia rectorum corde. Et rursum; Est quaedam voluptas cordis cui dulcis est panis ille calefactus. Porro si Poeta dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita, quod totum Christus est? An verò habet corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis?

Tract 16.  
in Ioan.

Hom. 36. in  
Euang.

Sed hoc, inquit D. Gregor. inter delicias cordis & corporis distare solet; quod corporales deliciae cum non habentur, graue in se desiderium accendunt, cum vero habita eduntur, comedentem protinus in fastidium per fatietatem vertunt: ac contra spirituales deliciae cum non habentur in fastidio sum, cum verò habentur in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. Id expertus in se D. Hieron. Auarus, inquit, sum, ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo.

In epist. ad  
Ctesiphon.

Omne quod habemus bonum, gustus Domini est; quanto plus bibero, tanto plus sitio; legi eam a Psalmista cantari. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Ad ipsum expertus D. Aug. qui ita in Confess. Vocasti me Domine, & clamasti, & rupisti surditatem meam: Coruscasti, splenduidisti, & fugasti caecitatem meam; Fragraisti, & duxi spiritum, & anheo tibi: Gustavi, & esurio, & sitio. Dixerat enim olim per Sapientem, ipsa Sapientia; Qui edunt me, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, adhuc sicient.

Psaltn. 33;  
Lib. 10. cōf.  
cap. 27.

Eccles. 24.

Quoad



Quoad carnales verò delitias, refert Cicero, de Xerxe Persarum Rege, quod refertus omnibus præmijs, donisque fortunæ, ijsque non contentus, præmium proposuerit, qui inueniret nouam voluptatem; quod priores statim sui fastidium parerent, & vt ille ait, semper sit pœnitendum cum voluptate vicinitas. Vtilissimum est Aristorelis præceptum, inquit Valer. Max. Considerandas esse voluptates, non aduenientes, sed abeuntes. Quas quidem sic ostendendo minuit, fessas enim pœnitentiæque plenas animis nostris subiecit, quo minus cupidè repetantur. Est & ea apud Boetium Philosophiæ de voluptatibus sententia; Appetentia voluptatum plena est anxietatis, satietas verò pœnitentia: quantos illa morbos, quam intolerabiles quasi quendam fructum nequitia fruuentium solent referre corporibus; quarum motus quia habeat incunditatis, ignoro: tristes verò esse voluptatum exitus, quisquis reminisci voluptatum suarum volet, intelliget. Habet hoc voluptas omnis, simul

Lib. 5.  
Tusc. 9.

Lib. 7. ca. 2.

Lib. 3.  
prof. 7.

Ibidem  
metro. 7.

De Catech.  
iud. c. 17.

Sic & D. August. Quamuis mundana gaudia, non sint gaudia, tamen qualiacumque sint, & quantumlibet delectent, aufert omnia ista vna febricula; remanet inanis & saucia conscientia, Dominum sensura Iudicem, quem noluit habere custodem; & inuentura asperum Dominum, quem dulcem patrem querere & amare contempsit. Imò in medijs ipsis voluptatibus, quis est qui spinas non sentiat? Non poteris, ait idem August. te conuertere ad aliquam voluptatem, vbi spinas non sentias. Elige quod volueris; esto auarus, esto luxuriosus, esto ambitiosus. In honor

In Psal. 102

VUM

rum cupiditate, quanta spina? in luxuria libidinum, quanta spina? In ardore auaritia, quanta spina? Amores turpes quantas molestias habent? quantas sollicitudines hic in ista vita? Omitto gehennam. Vide ne iam ipse tibi gehenna sis. Hoc ipse in se expertus cum adhuc à Deo, eiusque iustitia alienus voluntatibus feruiret, ac amoribus: Excessi, inquit, omnia legitima tua, nec euasi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer seuiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, ut ita quarerem, sine offensione ocundari. Et ubi hoc possem non inuenirem quicquam prater te Domine.

Lib 2. Cōf.  
cap. 2.

In Hortensio.

De iisdem quid ienferint Gentiles paucis cognoscite. Dicit Plato Philosophus apud Ciceronem: Voluptatis motum, ut quisque est maximus, ita inimicissimum esse Philosophia; Congruere enim cum cogitatione, magna voluptas corporis non potest. Quis enim cum uiatur voluptate ea qua nulla potest maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam potest? Quis tantus est gurgis, quid dies & noctes, sine ulla minimi temporis intermissione, velit ita moueri suos sensus, ut mouentur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente praeditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas? Simile quiddam apud eundem auctorem Archita Tarentini habet oratio: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam: Cuius voluptatis auida libidines temere, & effrenatè ad potiundum incitari entur. Cumque homini, siue natura, siue quis Deus nihil mente praestabilius dedisset, huius diuino muneri ac dono, nihil esse tam inimicum, quam voluptatem, nec enim libidine

De Seneca.

*libidine dominante, temperantia locum esse omnino, nec in regno voluptatis virtutem posse consistere.*

Quibusdam Philosophis illud frequens in ore erat prouerbum; *Malo insanire, quam voluptate perfrui*; Vnde & Poëta Lyricus monet; *Sperne voluptates, nocetempta dolore voluptas*. Seneca vero Lucilio suo; *Voluptates, inquit, præcipue occurrpa, inter res vilissimas habe; quæ latronum more, in hoc nos amplectuntur, ut strangulens.* Epictetus Lib. 17.  
cap. 19.  
Philosophus, teste Gellio, Philosophiæ summam his duobus verbis comprehendere solitus est, *Sustine & abstine*; quorum prius monet, ut *mala quæ incurrunt, a quo animo toletemus; posterius, ut à voluptatibus temperemus*, inquit Gellius, & ipse Gentilis.

Laudat hoc nomine Claudianus Poëta, et si à Christi religione alienus, Stiliconē Comitem Imperatoriæ militiæ Ducem;

— Nec te iucunda fronte fefellit  
Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper  
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus,  
Membrarq; Circais effœminat acrius herbis,  
Blanda quidem vultu, sed quæ non terrior vlla  
Interior, fucata genas, & amica dolosis  
Illecebris, toruos auro circumligat hydros.

Et alius Poëta, Christianus tamen;

— Non insidiosa voluptas  
Decipiat quemquam blanda sub imagine semper  
Ingreditur, nardi succos, vnguenta, sapores  
Mellisfluos præfert, vultuq; applaudit amico;  
Sed nihil est siue fraude, latent sub melle venena,  
Quæ postquã imprudens biberis, fugit illa repente  
Lasa dolis, manet infixum sub pectore vulnus.

Bapt. Mantua.

Non

Luc. 1.

Non ergo delectent nos cœdæ libidines, non aliæ corporis voluptates nos capiant, quas etiam Gentiles detestati sunt, sed ad exemplum sanctissimæ Virginis, *exultet spiritus noster in Deo salutari nostro*, in eius muneribus ac promissis, in virtutibus ac rectè factis eorumque præmijs, vt cum eadem futuræ vitæ dulcedinem etiam nunc prægustare suauiter possimus. Qui adhuc de torrentibus huius seculi bibunt, & istarum aquarum dulcedinem nesciunt, existimant eum qui contempto mundo, eiusque spretis vanitatibus ac voluptatibus, ad virtutem se Deique amorem transfert, voluptates omnes ac delicias perdere. *Non perdit*, inquit August. *non perdit, sed mutat, à carne ad spiritum, à sensibus ad conscientiam; & cito sentit, dulciores esse fructus iustitiæ, quam iniquitatis; & verius atque iucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias.*

In Psalm.  
De Cate-  
chaud, c. 16

Serm. 5. de  
ieiun. 10.  
mens.

*Si seipsum sibi, ait S. Leo, rationalis homo compareret omnesque suorum actuum qualitates, diiudicaret, nunquid in intimis conscientia sua hoc delectationis inueniet de iniquitate commissa, quod de æquitate seruata? aut tantum ei iucunditatis voluptas carnalis, quantum spiritalis pariet appetitus? Nihil prorsus de virtutum splendore attingit, nihil de pietatis suauitate gustat, qui magis vult sordescere in ijs qua immunda sunt, quam in ijs splendere, qua sancta sunt. Non finit ratio vt cordibus non vsquequaque captiuus, ita placeat satiata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generent gaudium mala qua sita de alieno, quantum bona expensa de proprio. felicitior est semper parca temperantia,*  
*quam*

quam profusa luxuria, maiorque est lux humilibus, quam superbis.

Id in se expertus Augustin. qui Dominum Lib 9: alloquens, *Quam suave, inquit, mihi subito factum Conf. c. 25* est, carere suavitatibus uogatum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me vera tu & summa suauitas; ejiciebas eas à me, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Dicit in Cantic. sponsa ad sponsum; Ec- Cant. 1: clesia seu anima Christiana ad Christum Dominum; *Meliora sunt uvera tuauino. Et sensus est, inquit Bernard. carnis voluptatem, qua paulo ante Serm. 9. in* tanquam uino ebria tenebamur, vincunt hæ, quas tua Cant. nobis uera stillant delicia spirituales. Et pulchrè uino comparatur carnalis affectus; *Vt enim uua semel expressa, non habet iam quod demud fundat, sed perpetua ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis, ab omni profusus sua delectatione siccatur, nec ultra reuifescit ad libidines. Verum uvera non sic; hæc enim cum exhaurita fuerint, rursus de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis secutiue amore asseruntur uvera sponsi, que nullo unquam lactentium numero arefcunt, sed semper abundant de uisceribus charitatis, ut iterum stiant.*

Imò non desuerunt; teste D. August. qui iustitia Lib. 33. q. 3 suauiatatem & internum eius gaudium, cum corpora- 9. 82. libus omnibus laboribus, & molestijs, quas genus humanum pro conditione sua mortalitatis patitur, cum omnibus etiam, que propter ipsam iustitiam in eos qui iuste uiuunt, iniuriosissime cogitantur, ita compensatens, ut sequestrata spes uita, iucundius & latius pro

De Ciuit.  
lib. 21. c. 24

Matth. 5.

1. Ioan. 3.  
Psal. 16.

*amore veritatis torquerentur, quam luxuriosi praecupiditate voluptatis epularentur. In hac ergo iustitia, est multitudo magna dulcedinis Dei, est prægustatio seu prælibatio quædam futuræ beatitudinis, propter quam dicitur in Psal. Gustate & videte, quoniã dulcis est Dominus. Et hanc quidem in hac peregrinatione gustantes, non ad saturitatem sumentes, esurimus eam potius ac sitimus, vt ea postea saturemur, cum videbimus eum, sicuti est, & implebitur quod scriptum est, Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

In Psal. 34.

Psal. 35.

Serm. 8. de  
ieiun. 10.  
morf.

*Quantacumque iustitia nostra in nobis fuerit, inquit idem Augustinus, ros est nescio quis ad illum fontem, ad saginam illam tantam; stillicidia quadam sunt que vitam nostram molliant, & duram soluant iniquitatem. Modò desideremus de pleno fonte iustitia saginari; Modò desideremus vbertate illa satiari, de qua dicitur in Psalms: Inebriabuntur ab vbertate domus tue, & torrente voluptatis tue potabis eos; abstinentes ab his quæ nobis noxie blandiuntur, & legem peccati quæ est in membris nostris, lege Dei superantes, vt licet per omnes sensus corporis multa insidientur illecebra (vt verbis D. Leonis concludam) animus tamen, cui summum bonum, & verum gaudium Deus est, inter castas spiritalesque delicias, in Sapiencia latitudine, & veritatis luce versetur.*

MONI-

## MONITVM XX.

*Arcam de lignis Setim compingite, &c.*

Exodi 25.

**M**ultæ sunt in Scripturis veteris Testamenti Prophetiæ, quibus Sanctissima Virgo Maria fuit clarissime prædicta; Multæ figuræ, quibus dulcissimè adumbrata. Nos è multis vnã adferemus in medium; Arcam videlicet fœderis, quam iussu Dei fabricauit Moses. De qua duo potissimū consideranda. Primum, quomodo composita; Alterum, quæ in ea continebantur. Composita fuit ex ligno imputribili. Ait Dominus ad Moysen; *Arcam de lignis Setim compingite*; quæ extra omnem corruptionem ac putredinem esse feruntur. Exod. 25.

Talis erat Maria; Virgo, animo & corpore incorrupta; Nec mentem eius cogitatio, nec carnem libido commaculauit. Non in conceptione filij Dei, nec in eiusdem natiuitate, vlla ex parte eius est læsa Virginitas. Quæ nobilissimo illo fructu fœcundata, aliã prolem non petiuit, & tantæ prolis protectione incorrupta semper Virgo permansit.

Deinde nulla peccati labe, vel in animo, vel in corpore vnquam fuit contaminata, vti

*Et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus; ideo David, concupiscebas desiderare qua bona esse cernebas, cupiens eorum habere delectationem, quantum videre potuit rationem.*

- Denique hæc ruminatio, seu mentis consideratio, hanc adfert vtilitatem, quod hominem etiam exurgente tentatione, in opere bono confirmet ac conseruet. *Scriptum est*, inquit August. *Cogitatio sancta conseruabit te.* Sed rem declaremus exemplis; Cogitatio præsentia Dei, conseruauit Susannam Matronam pudicissimam, ne tentationi succumberet, qua ad impudicitiam sollicitabatur, proposita etiam infamia, ac morte, ni consentiret; *Melius est mihi, inquit, absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Cogitatio potentia ac iustitia Dei, conseruauit Eleazarum nonagenarium senem, ne tormentis cederet, cum iuberetur carnes porcinas contra legem Dei manducare, vel saltem hoc simulare, vt mortem & alias pœnas grauissimas euaderet. *Et si, ait, in presenti tempore supplicij hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec uiuus, nec defunctus effugiam.* Quid Machabæos fratres, varijs acerrimisque pœnis fecit superiores?
- 3. Mach. 6.* Cogitatio vtique futuræ remunerationis, ac gloriosæ resurrectionis; *Quorum vnus constanter ad Tyrannum; Tu quidem scelestissime in presenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos, pro suis legibus in aeterna vita resurrectione suscitabit.* Et alter linguam ac manus postulatus, vt amputarentur, cum fiducia aiebat; *E celo ista possides.*
- 3. Mach. 7.*



deo sed propter Deileges nunc hac ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.

Denique cogitatio nouissimorum, Dauidem Regē conseruauit a graui lapsu ad quem propendebant pedes eius, cum videret afflictionem bonorum, & peccatorum pacem ac prosperitatem; *Existimaui*, inquit, *vt cognoscerem hoc*, id est, conatus sum hoc intelligere; Cur boni affligantur, mali prosperentur. *Labor est ante me*, id est, exorta est mihi difficilis quaestio; Et solui non potest, *Donec intrem sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum*. Ibi enim, inquit August. *cognoscebat & considerabat, totum genus humanum, omnem istam massam mortalitatis venturam esse ad examen, venturam ad libram, vbi appendentur opera hominum. Cuncta modo nubes inuoluit, sed Deo cognita sunt merita singulorum; ibi manifestabuntur; vt mali aeterna supplicia, boni vero aeterna recipiant premia.*

Habetis paucis, quæ sit vtriusque vitæ utilitas ac necessitas; vtramque cum D. Virgine diligenter excolamus, vt & sollicitè conseruemus verba Sapientiae, eaque ruminando cum animo nostro pertractemus, quo is in Dei laudem ac amorem excitetur ac prouehatur. Nec erga proximos, *de quibus vniciquē mandauit Dominus*, prætermittamus officia misericordiae, quibus & mutua charitas fouetur, & diuina Clementia conciliatur.

Hiscæ duobus pedibus, charitate, inquam, Dei & proximi, quæ in vtraque vita exercetur, post sanctiss. Virginem ad Deum curramus. *Vnde enim accedimus ad Deum*, inquit Aug. *In Psal. 33.*

nisi fidem sectando, corde inhiando, caritate currendo: Pedes tui charitas tua est; Duos pedes habeto; Noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo precepta dilectionis Dei & proximi; Quidus pedibus spiritalibus cerui incedunt, currunt, ambulant, transiliunt omnia spineta huius seculi, ut perueniant ad fontem vitæ æternæ.

Psal. 138.

Hiscæ duabus pennis post eam ad Deum volumus. De quibus Propheta Dauid: Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Quid est extremum maris, nisi finis seculi? inq.

In Psal. 138

Auguit. Nunc iam volumus spe & desiderio, habentes alas gemina charitatû. Non sit nobis requies, nisi in extremis maris. Nam si alibi requiem habere voluerimus, in mare precipitabimur. Volemus, quousque finiatû mare, suspendamus nos pennis gemina dilectionis. Ad Deum interim spe volumus, & illum finem maris spe fidei præmeditemur, ut mens nostra de temporalis vitæ conclusionem sollicita, non iam vanis occupetur cupiditatibus, sed vtriusque vitæ, seu charitatis officijs intenta, ad promissiones Dei de hoc seculo feliciter valeat euolare.

MONI-

## MONITVM XIX.

*Exultauit spiritus meus in Deo  
salutari meo.*

LUC. I.

**T**anta est beasitudo iustitia, tanta incunditas lucis  
aeterna, id est, incommutabilis Veritatis ac Sapien-  
tia (qua nunc Sanctissima Virgo fruitur in  
cœlis) vt etiamsi non liceret amplius in ea manere,  
quam vnus diei mora, propter hoc, inquit S. August. Lib. 3. de  
solum, innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs, & lib arb.  
cum confluentia bonorum omnium, rectè meritoque con- cap. 25.  
semnerentur. Non enim falso aut paruo affectu dictum Psalm. 83.  
est, Melior est dies vna in atrijs. tuis super millia. Et  
Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis 1. Cor. 2.  
ascenderunt quæ præparauit Deus diligentibus se. Ex-  
pendatur quid sit æternitas & consideratio  
felicитatis sanctorum, nos planè obstupefa-  
ciet, vt merito cum Propheta exclamemus,  
Deficit anima mea in atria Domini. Psalm. 83.

Sed quoniam in ista infirmitate moribun-  
dorum senum, deest nobis ille sensus altis-  
simæ purissimæq; Sapientiæ, quo tantum bo-  
num a nobis in hac vita sentiri possit, de pri-  
mitijs spiritus, de pignore seu arra salutis, de  
prægustu quodam æternæ beatitudinis, qui  
etiam in hac vita sanctis à Deo donatur, ne in  
ista siccitate vitæ, conditionisque mortalis  
penitus

1. Ioan. 5.

Luc. 17:

Rom. 14.

De Catech.  
rud. c. 16.De Gen. ad  
lit. li. 9. c. 17Lib: 10.  
Cap. c. 22.

penitus arefcant, paucis agemus. Tanta enim est iultorum dignitas, vt etiam hic quodammodo in fe habeant vitam æternā; telle Apoftolo Ioanne; *Vitam, inquit, habes aternam, quoniam credidisti in nomine filij Dei*: Imò ipse Chriftus in Euang. Apoftolis ait, *Regnum Dei intra vos est*: Non quidem in fua perfectione, fed inchoatione & origine. *Regnum enim Dei, inquit Apoftolus, est iustitia, gaudium, pax*: quæ sancti incipiunt habere in terris, vt postmodum perficiantur in cælis.

Dicit S. August. *Tu qui veram requiem, qua post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam hinc eam inter amarissimas huius vitæ molestias, suauem, iucundamque gustabis, si eius, qui eam promissit, præcepta dilexeris*. Quam requiem, Sanctissimā Virginem præ reliquis omnibus suauissimè in hac vita prælibasse, non dubium; cum præ cæteris omnibus Diuina mandata maximè dilexerit ac obseruarit. Vt ergo de re proposita exordiar: *Omnis iste natura vsitatissimus cursus, inquit idem August. habet quasdam naturales leges suas, secundum quas & spiritus vitæ qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Non enim potuit humana natura in omnibus malis suis amittere beatitudinis appetitum; Et vsque ad eandem naturam refugit falsitatem, & quantum potest, deuitas errorem, vt falli nolint etiam quicumque amant fallere. Similiter nemo est, qui pacem habere nolit; sicut & nemo est, qui gaudere nolit.*

*Sed interest, vnde quis gaudeat. Absit enim Domine, inquit D. August. vt quocumque gaudio gaudeam, beatum*

beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es; & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te. De quo Sanctiſ. Virgo, *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* quæ ſpiritus exultatio, affectus quidam eſt præſentis gratiæ, præguſtus vitæ futuræ. Et in quo exultat, qui exultat in Deo ſalutari ſuo? (vtar verbis D. Aug. paululum immutatis) non in ſpecie corporis, nec decore temporis, nec candore lucis, iſtis amico oculis, non in dulcibus melodijs ſuauium cantilenarum omnimodarum, non in florum & vnguentorum & aromatum ſuaeuolentijs, non in māna & melle, non in membris acceptabilibus carnis amplexibus; non in his exultat, qui exultat in Deo ſalutari ſuo. Et tamen exultat in quadam luce, quadam voce, quodam odore, & quodam cibo, & quodam amplexu, cum exultat in Deo ſalutari ſuo, Luce, voce, odore, cibo, amplexu interioris hominis, vbi fulget animæ, quod non capit, locus, & vbi ſonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non ſpargit flatus; & vbi ſapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas.

Lib. 10.  
Conf. c. 6.

De qua re idem alibi: *Est ſua ſpecies pulchris corporibus, & auro & argento, & omnibus, & in contactu carnis congruentia valet plurimum, cæterisque ſenſibus eſt ſua cuique accommodata modificatio corporum. Habes & honor temporalis & imperitandi atque ſuperandi potentia ſuum decus. Et vita qua hic viuimus habet illecebram ſuam, propter quendam modum decoris ſui, & conuenientiam cum his omnibus in-*  
finis

Lib. 2. conſ.  
ſel. cap. 5.

simis pulchris. Amicitia quoque hominum charo nodo dulcis est, propter unitatem de multis animis. Pulchra sunt hac inna & decora, sed præ bonis superioribus abiecta & iacenta; habent delectationes suas, sed non sicut Deus, qui fecit omnia, quia in ipso delectatur iustus, & ipse est delicia rectorum corde. Et rursum; Est quadam voluptas cordis cui dulcis est panis ille calestis. Porro si Poeta dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita, quod totum Christus est? An verò habet corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis?

Tract 26.  
in Ioan.

Hom. 36. in  
Euang.

Sed hoc, inquit D. Gregor. inter delicias cordis & corporis distare solet; quod corporales delicia cum non habentur, graue in se desiderium accendunt, cum vero habita eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt: at contra spirituales delicia cum non habentur in fastidio sum, cum verò habentur in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. Id expertus in se D. Hieron. Auarus, inquit, sum, ad

In epist. ad  
Ctesiphon.

accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Omne quod habemus bonum, gustus Domini est; quanto plus bibero, tanto plus sitio; legi eam à Psalmista cantari. Gustate & videte, quonia suavis est Dominus. Id ipsum expertus D. Aug.

Psal. 33.  
Lib. 10. c. 5f.  
cap. 27.

qui ita in Confess. Vocasti me Domine, & clamasti, & rupisti surditatem meam: Coruscasti, splendisti, & fugasti cecitatem meam; Fragraisti, & duxi spiritum, & anbelo tibi: Gustavi, & esurio, & sitio. Dixerat enim olim per Sapientem, ipsa Sapientia; Qui edant me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sicient.

Eccles. 24.

Quoad

Quoad carnales verò delitias, refert Cicero, de Xerxe Persarum Rege, quod refertus omnibus præmijs, donisque fortunæ, ijsque non contentus, præmium proposuerit, qui inueniret nouam voluptatem; quod priores statim sui fastidium parerent, & vt ille ait, *semper sit pœnitendum cum voluptate vicinitas.* Vtilissimum est Aristotelis præceptum, inquit Valer. Max. *Considerandas esse voluptates, non aduenientes, sed abeuntes.* Quas quidem sic ostendendo minuit, fessas enim pœnitentiæque plenas animis nostris subiecit, quo minus cupide reptantur. Est & ea apud Boetium Philosophiæ

Lib. 5.  
Tusc. 9.

Lib. 7. ca. 2.

de voluptatibus sententia; *Appetentia voluptatum plena est anxietatis, satietas verò pœnitentia: quantos illa morbos, quam intolerabiles, quasi quendam fructum nequitia fruuentium solent referre corporibus; quarum motus quid habeat incunditatis, ignoro: tristes verò esse voluptatum exitus, quisquæ reminisci voluptatum suarum volet, intelliget. Habes hoc voluptas omnis, simulis agit fruentes, Apiumque par volantum, vbi grata nulla fudit, fugit, & nimia tenaci ferit illa corda morsu.*

Lib. 3.  
prof. 7.

Ibidem  
metro. 7.

Sic & D. August. *Quamuis mundana gaudia, non sint gaudia, tamen qualiacumque sint, & quantumlibet delectent, aufert omnia ista vna febricula; remanet inanis & saucia conscientia, Dominum sensura Iudicem, quem noluit habere custodem; & inuentura asperum Dominum, quem dulcem patrem querere & amare contempsit.* Imò in medijs ipsis voluptatibus, quis est qui spinas non sentiat? Non poteris, ait idem August. *te convertere ad aliquam voluptatem, vbi spinas non sentias. Elige quod volueris; esto auarus, esto luxuriosus, esto ambitiosus.* In honor

De Catech.  
ind. c. 17.

In Psal. 102

rum

tum cupiditate, quanta spina? in luxuria libidinum, quanta spina? In ardore auaritia, quanta spina? Amores turpes quantas molestias habent? quantas sollicitudines hic in ista vita? Omitto gehennam. Vide ne iam ipse tibi gehenna sis. Hoc ipse in se expertus cum adhuc à Deo, eiusque iustitia alienus voluptatibus seruiret, ac amoribus: Excessi, inquit, omnia legitima tua, nec euasi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer sauiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, ut ita quarerem, sine offensione iocundari. Et ubi hoc possem non inuenirem quicquam prater te Domine.

Lib 2. Cōf.  
cap. 2.

In Horten.  
no.

De iisdem quid tenerint Gentiles paucis cognoscite. Dicit Plato Philosophus apud Ciceronem: Voluptatis motum, ut quisque est maximus, ita inimicissimum esse Philosophia; Congruere enim cum cogitatione, magna voluptas corporis non potest. Quis enim cum viatur voluptate ea qua nulla potest maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam potest? Quis tantus est gurgis, quid dies & noctes, sine ulla minimi temporis intermissione, velit ita moneri suos sensus, ut mouentur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente praeclusus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas? Simile quiddam apud eundem auctorem Architaë Tarentini habet oratio: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam: Cuius voluptatis auida libidines temere, & effrenatè ad potiundum incitari entur. Cumque homini, siue natura, siue quis Deus nihil mente praestabilius dedisset, huius diuino muneri ac dono, nihil esse tam inimicum, quam voluptatem; nec enim

De Seneca.

libidine



*libidine dominante, temperantia locum esse omninò, nec in regno voluptatis virtutem posse consistere.*

Quibusdam Philosophis illud frequens in ore erat prouerbum; *Malo insanire, quam voluptate perfrui*; Vnde & Poëta Lyricus monet; *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas*. Seneca vero Lucilio suo; *Voluptates, inquit, precipud occirpa, inter res vilissimas habe; que latronum more, in hoc nos amplectuntur, ut strangulens. Epictetus* Lib. 17. cap. 19. Philotophus, teste Gellio, Philosophiæ summam his duobus verbis comprehendere solitus est, *Sustine & abstine*; quorum prius monet, ut mala que incurunt, aquo animo toleremus; posterius, ut à voluptatibus temperemus, inquit Gellius, & ipse Gentilis.

Laudat hoc nomine Claudianus Poëta, et si à Christi religione alienus, Stiliconē Comitem Imperatoriæ militiæ Ducem;

— *Nec te iucunda fronte fefellit  
Luxuries prædulce malum, qua dedita semper  
Corporis arbitrijs hebetat caliginis sensus,  
Membrag; Circais effæminat acrius herbis,  
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla  
Interior, fucata genas, & amica dolosis  
Illecebris, toruos auro circumligat hydros.*

Et alius Poëta, Christianus tamen;

— *Non insidiosa voluptas  
Decipiat quemquam blanda sub imagine semper  
Ingreditur, nardi succos, vnguenta, sapores  
Mellis suos præfert, vultuque applaudit amico;  
Sed nihil est sine fraude, latent sub melle venena,  
Qua postquã imprudens biberis, fugis illa repente  
Lata dolis, manet infixum sub pectore vulnus.*

○

Non

Bapt. Mantua.

Luc. 1.

Non ergo delectent nos cœdæ libidines, non aliæ corporis voluptates nos capiant, quas etiam Gentiles detestati sunt, sed ad exemplum sanctissimæ Virginis, *exaltet spiritus noster in Deo salutari nostro*, in eius muneribus ac promissis, in virtutibus ac rectè factis eorumque præmijs, vt cum eadem futuræ vitæ dulcedinem etiam nunc prægustare suauiter possimus. Qui adhuc de torrentibus huius seculi bibunt, & istarum aquarum dulcedinem nesciunt, existimant eum qui contempto mundo, eiusque spretis vanitatibus ac voluptatibus, ad virtutem se Deique amorem transfert, voluptates omnes ac delicias perdere. *Non perdit*, inquit August. *non perdit, sed mutat, à carne ad spiritum, à sensibus ad conscientiam; & cito sentit, dulciores esse fructus iustitiæ, quam iniquitatis; & verius atque iucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias.*

In Psalm.  
De Cate-  
chaud, c. 16

Serm. 5. de  
ieiun. 10.  
mens.

*Si seipsum sibi, ait S. Leo, rationalis homo comparet omnesque suorum actuum qualitates diiudicet, nunquid in intimis conscientia sua hoc delectationis inueniet de iniquitate commissa, quod de æquitate seruata? aut tantum ei iucunditatis voluptas carnalis, quantum spiritualis pariet appetitus? Nihil prorsus de virtutum splendore attingit, nihil de pietatis suauitate gustat, qui magis vult sordescere in ijs qua immunda sunt, quam in ijs splendere, qua sancta sunt. Non finit ratio vt cordibus non vsquequaque captiuus, ita placeat satiata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generens gaudium mala quaesita de alieno, quantum bona expensa de proprio. salucior est semper parca temperantia, quam*

quam profusa luxuria, maiorque est lux humilibus,  
quam superbis.

Id in se expertus Augustin. qui Dominum Lib 9:  
alloquens, *Quam suauē, inquit, mihi subito factum* Conf. c. 2.  
*est, carere suauitatibus iugatum, & quas amittere me-*  
*tus fuerat, iam dimittere gaudium erat: Ejiciebas enim*  
*eam à me vera tu & summa suauitas; ejiciebas eas à me,*  
*& intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non*  
*carni & sanguini, omni luce clarior, sed omni secreto*  
*interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in*  
*se. Dicit in Cantic. sponsa ad sponsum; Ec-* Cant. 1.  
*clesia seu anima Christiana ad Christum Dō-*  
*minum; Meliora sunt vbera tuavino. Et sensus est,* Serm. 9. in  
*inquit Bernard. carnis voluptatem, qua paulo ante* Cant.  
*tanquam vino ebria tenebamur, vincunt hæ, quas tua*  
*nobis vbera stillant delicia spirituales. Et pulchrè vino*  
*comparatur carnalis affectus; Vt enim vna semel ex-*  
*pressa, non habet iam quod demud fundat, sed perpetua*  
*ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis, ab omni*  
*profsus sua delectatione siccatur, nec vltra reuitescit*  
*ad libidines. Verum vbera non sic; hæc enim cum exhau-*  
*sta fuerint, rursus de fonte materni pectoris sumunt,*  
*quod propinènti sugentibus. Merito proinde meliora*  
*carnis secutiue amore afferuntur vbera sponsi, que nul-*  
*lo vnquam lactentium numero arescunt, sed semper*  
*abundant de visceribus charitatis, vt iterum stiant.*

Imò non desuerunt; teste D. August. qui iustitia Lib. 35. q.  
suauitatem & internum eius gaudium, cum corpora- 9. 82.  
libus omnibus laboribus, & molestijs, quas genus huma-  
num pro conditione sue mortalitatis patitur, cum omni-  
bus etiam, que propter ipsam iustitiam in eos qui iuste  
viuunt, iniuriosissime cogitantur, ita compensatens, vt  
sequestrata spesutata vita, iucundius & latius pra  
amare

*amore veritatis torquerentur, quam luxuriosi pro cupiditate voluptatis epularentur.* In hac ergo iustitia, est multitudo magna dulcedinis Dei, est prægustatio seu prælibatio quædam futuræ beatitudinis, propter quam dicitur in Psalmi. *Gustate & videte, quoniã dulcis est Dominus.* Et hanc quidem in hac peregrinatione gustantes, non ad saturitatem fumentes, esurimus eam potius ac sitimus, ut ea postea saturemur, cum videbimus eum, sicuti est, & implebitur quod scriptum est, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

*Quantacumque iustitia nostra in nobis fuerit, inquit idem Augustinus, ros est nescio quis ad illum fontem, ad saginam illam tantam; stillicidia quædam sunt que vitam nostram molliant, & duram solvant iniquitatem. Modò desideremus de pleno fonte iustitia saginari; Modò desideremus vbertate illa satiari, de qua dicitur in Psalmis: Inebriabuntur ab vbertate domus tue, & torrente voluptatis tue potabis eos; abstinentes ab his quæ nobis noxie blandiuntur, & legem peccati quæ est in membris nostris, lege Dei superantes, ut licet per omnes sensus corporis multa infidientur illecebra (ut verbis D. Leonis concludam) animus tamen, cui summum bonum, & verum gaudium Deus est, inter castas spiritalesque delicias, in sapientia latitudine, & veritatis luce versetur.*

MONI-

## MONITVM XX.

*Arcam de lignis Setim compingite, &c.*

Exodi 25.

**M**ultæ sunt in Scripturis veteris Testamenti Prophetiæ, quibus Sanctissima Virgo Maria fuit clarissime prædicta; Multæ figuræ, quibus dulcissimè adumbrata. Nos è multis vnam adferemus in medium; Arcam videlicet foederis, quam iussu Dei fabricauit Moses. De qua duo potissimū consideranda. Primum, quomodo composita; Alterum, quæ in ea continebantur. Composita fuit ex ligno imputribili. Ait Dominus ad Moysen; *Arcam de lignis Setim compingite*; quæ extra omnem corruptionem ac putredinem esse feruntur. Exod. 25.

Talis erat Maria; Virgo, animo & corpore incorrupta; Nec mentem eius cogitatio, nec carnem libido commaculauit. Non in conceptione filij Dei, nec in eiusdem natiuitate, vlla ex parte eius est læsa Virginitas. Quæ nobilissimo illo fructu fœcundata, aliã prolem non petiuit, & tantæ prolis protectione incorrupta semper Virgo permansit.

Deinde nulla peccati labe, vel in animo, vel in corpore vnquam fuit contaminata, vti

testantur Patres. *Suscipe me in carne*, inquit D. Ambros. ad Dominum, *qua in Adam lapsa est; suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati. Inde enim scimus*, ait D. August. *quod ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

In Psal. 118  
De nat. & gratia, c. 36

Orat. 2.  
de dormitione Deip.

Denique etli communem mortis legem subierit, in morte tamen non permanfit, nec caro eius, (vt nec caro filij Dei) vidit corruptionē. Nota est historia ex Damasceno, de Dormitione Deiparæ; Cum enim post tres dies ex causa tumulum eius aperuissent Apostoli, omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cū ea autem tantum inuenissent in quibus fuerat compositum, & ineffabili, qui ex ijs proficifcebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Eius mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere, & hominem fieri & nasci, cum esset Deus Verbum & Dominus gloriæ; quique post partum incorruptam seruauit eius virginitatem, eidem etiam placuit & ipsius, postquā migravit, immaculatum corpus, incorruptum seruatum, translatione honorare ante communem & vniuersalem resurrectionem. Ita Damasc.

Nobis quoque incorruptioni studendum, quantum in ista vitæ mortalis infirmitate præstare possumus, Deum orando suppliciter, vt *sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus & ani-*

& ani-

*Et anima, et corpus seruetur; quod à Deo pro suis diligenter petebat Apostolus. Corrumpit autem homo & violat naturam quam fecit Deus vel non concessa committendo, vel immoderate rebus concessis utendo. Siquis autem templum Dei (quod nos ipsi sumus) violauerit, disperdet illum Deus, clamat terribiliter Apostolus. Et tamen si corpus nostrum peccato corruptibile factum sit, sui corruptione sensim euanesceat, nihiloque propinquans: ita tamen eo utendum est nobis, ut aliquando ad illam incorruptionem redire possit; de qua Apostolus: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Instum est enim, ait S. Hieron. ut quis semper mortificationem Christi in corpore nostro circumtulimus, vita quoque IESU manifestetur in corpore nostro mortali, id est, in carne mortali secundum naturam, aeterna secundum gratiam.*

Deinde Arca fœderis, de qua nobis sermo, intrinsecus & extrinsecus erat deaurata. *Deaurabis eam auro mundissimo, intus & foris, ait Dominus Moysi. Sic & sanctissima Virgo, ornatissima fuit intrinsecus cogitationibus & desiderijs sanctis, extrinsecus exemplis bonorum operum ex charitate proficiscentibus. Aurum inter metalla excellit, Charitas inter virtutes. Dicit Apostolus. Nunc autem manent tria has fides, spes, charitas; maior autem horum charitas. Et alibi; Induite viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Super omnia autem hac charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et rursum; Fructus spiritus sunt, Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas,*

Vide Aug. lib. 3. conf. cap. 8. & ferm. 103. de diuers. 3, Cor. 3.

1. Cor. 15.

Ad Pam-mach.

Exod. 25.

1. Cor. 12.

Coloss. 3.

Galat. 5.

Serm. 31.  
de diuers.

Ser. 10. de  
Quad.

1. Cor. 16.

3. Reg. 6.

Rom. 12.

Ad Celant.

De com.

vir. Cleri.

Serm. 2.

de Quib.

cap. 9.

Cant. 2.

Cant. 2.

Serm. 71. in

Cant.

bonitas, longanimitas, &c. A Charitate, inquit S. August. *tanquam ab apice, & radice cetera contexuntur, Gaudium, pax, patientia, &c. Vnde iste burrus pulcher est, quia pendet à charitate. Quamuis enim, ait D. Leo, magnum sit habere rectam fidem sanamque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gula, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis; nuda sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* Hinc Apostolus, *Omnia vestra in charitate fiant, id est, studio placendi Deo, proximo lubueniendi.*

In Templo Salomonis nihil erat, quod non auro tegeretur; Sic in templo spiritali, quod nos sumus, omnia charitate fulgere debent. Et monente Apostolo, *Providenda vobis sunt bona non solum intus, sed & foris; non solum coram Deo, qui videt in abscondito, & hominum corda rimatur, sed & coram omnibus hominibus, qui exteriorem intuentur conuersationem. Apostolici & exempli & præcepti est, ait Hieron. ut non solum habeamus rationem conscientia, sed & fama. Conscientia tibi, fama proximo necessaria est, inquit August. In Canticis dicit Salomon, quod Sponsus inter lilia pascitur, quia, ut ibi D. Bern. candore & odore virtutum delectatur, ut candor ad conscientiam, odor pertineat ad famam; delectatur enim ijs Deus, qui vtriusque, conscientia scilicet, & fama rationem habent: Conscientia propter se, fama propter alios, quibus consulere non potes, si labores infamia, si nimia deiectione vilescas.*

Secundo, diligenter aduertendum, qua-

nam



nam huic arcæ inerant. Tria enumerat Apo- Hebr. 9.  
 stolus; Manna cæleste, quo nutritus est Dei  
 populus in solitudine; Virgam Aaron, quæ  
 etiam lignum aridum, floruit ac fructum pro-  
 tulit; legem Dei in duabus descriptam tabu-  
 lis. Cæleste manna clarissima erat figura  
 Christi Domini, qui de se in Euang. *Ego sum* Ioan. 6.  
*panis viuus qui de cælo descendi*; qui nouem men-  
 sium spatio corporaliter requieuit in utero  
 Virginis, ex cuius purissimo sanguine corpus  
 sibi formauerat, ex quo utero, expleto tem-  
 pore, *tanquam sponsus de thalamo procedens, exul-* Psal. 18.  
*tauit ut gigas ad currendam viam.* Spiritualiter verò  
 semper requieuit in eius animo; Non enim  
 decebat Diuinam, humanamque prolem cor-  
 pore concipi, nisi ab eadem Virgine admo-  
 dum sublimiter mente antea concepta esset;  
 nisi omni gratia spiritali Virgo esset repleta.  
*Dei genitrix, ait V. Beda, inde quidem beata, quia* Lib. 4. in  
*Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed in-* Luc. c. 40.  
*de multò beator, quia eiusdem semper amandi custos*  
*manebat æterna.*

Danda nobis est opera, vt & à nobis por-  
 tetur, & in nobis habitet Christus Dominus;  
 spiritaliter quidem per fidem, iustitiam, humi-  
 litatem. *Christum per fidem habitare in cordibus ve-* Ephes. 3.  
*stris, inquit Apostolus. Et Sapiens ait, Anima*  
*iusti, sedes Sapientie.* Et Dominus per Isaiam; Isai. 66.  
*Super quem requiescet spiritus meus? nisi super humi-*  
*lem, quietum, & tremementem sermones meos?* Corpo-  
 raliter autem per dignam & frequentem sa-  
 crofanctæ Eucharistiæ Communionem; Ioan. 6.  
*Qui manducat meam carnem, ait Christus, & bibit meum*

1. Cor. 6. *sanguinem, in me manet, & ego in eo: Et eius Apostolus hortatur; Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Efficimur Christiferi, inquit Cyrillus, id est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus eius & sanguinem in membra nostra recipimus,*
- Catech. 4. *diuina, ut ait Petrus, consortes natura. Et D. Leo, Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transcamus, & ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus. Et præclare*
2. Pet. 1. Sermon. 15. de Pass. *D. Chrylost. O quot modo dicunt, Vellem formam, & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre; Ipse vero se ipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.*
- Hom. 83. in Matth.

Inerat & arcæ Virga Aaron, quæ, ut dixi, etsi lignum aridum, floruit tamen & fructificauit. Ac D. Augustino teste, Crucem Domini significat. *O crux aue spes vnica, quam & ipsa Virgo semper portauit in pectore; cuius merito & ipsa redempta est, & ab omni peccato præseruata. Cruci enim, siue morti Domini in cruce obitæ, tribuenda non solum peccati remissio, sed & ab eodem præseruatio. Vnde D. Augustinus de utroque beneficio gratias agit Deo in confess. Gratia tue deputo & misericordie tue, quod peccata mea tanquam glaciem soluisi; gratia tua deputo & quacunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam grauissimum facinus amauit. Et omnia dimissa, mihi esse fautor; & qua mea sponte feci mala, & qua te duce non feci. Quisquis autem dixerit, ait Concil. Carthag. & postea Mileuitanum, cui August. interfuit,*

Serm. 8. & 99. de Tép.

Lib. 2. c. 7.

Canon. 3.

*gratiam*

*gratiam Dei qua iustificamur per Christum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium ut non committantur, anathemasis.*

Crux ergo lignum sterile, contemptibile, imò maledictum, floret ac fructificat. Quot enim fideles, quot iusti, quot misericordes, quot casti, quot humiles, quot obedientes, tot fructus crucis. Vnde Apostolus Paulus; Gal. 6.

*Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Alia cruces, inquit D. Ambros. nihil mihi profunt, sola Crux Christi mihi utilis est; & verè utilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Lib. 6. in Luc.

Et D. Chrysost. *Gloria nostra, ait, caput & origo beatitudinis, libertas & corona, Crux est.* Hom. 5. in Math.

Denique D. Leo, Christum alloquens, *Crux tua, inquit, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Serm. 8. de pass.

Quorum consideratione dicebat B. Ignatius, *Amor meus crucifixus est.* In epist. ad Rom.

Et Apostolus Paulus, non iudicavit se scire aliquid inter Corinthios, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2.

Postremò erat in Arca fœderis lex Moyfi, seu lex Domini per Moysen data in duabus tabulis. Quæ & animo sanctissimæ Virginis penitus impressa erat; *Maria, inquit Lucas, conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Luc. 1.

Fuisse D. Virginem studiosissimam Scripturarum indicat D. Ambros. qui de ea; *Tum sibi minus sola videbatur cum sola esset; Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* Lib. 2. de Virg.

Luc. 1.

pheta? Imò ipse Lucas dicens eam contulisse in corde suo, videlicet ea quæ scripta sunt à Prophetis de Domino, cum ijs quæ acta sunt de Domino, plane ostendit eam sciuisse Prophetas, pectusq; suum armarium fecisse Scripturarum. Qua in re quemque Christianum decet esse D. Virginis imitatore. *Verba Dei,*

Homil. 15.

ait D. Gregor. *qua aure auditis, corde retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei; & quasi acceptus cibus stomacho languenterejicitur, quando auditus sermo in ventre memoria non tenetur. Sed quisquis alimenta nō retinet, huius profecto vita desperatur.* De homine

Eccles. 21.

stulto dicit Sapiens, *Cor stulti quasi vas confractū, & omnem sapientiam non tenebit.* De Sapiente vero;

Eccles. 31.

*Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis.* Non in ore corporis, sed in ore cordis.

Prouerb. 3.

Vnde hortatur æterna Sapient. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta meæ cor tuum custodiat.*

Ioan. 14.

Et in Euang. *Qui habet mandata meæ, & seruat ea,*

Luc. 11.

*ille est qui diligit me.* Et rursum; *Beati qui audiunt*

Coloss. 3.

*verbum Dei, & custodiunt illud.* Et eius Apostolus; *Verbum Christi habet in vobis abundanter.* De se

Psalm. 118.

ait Propheta David; *In corde meo abscondi eloquia*

Psalm. 36.

*tuæ, ut non peccem tibi.* Et de viro iusto; *Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.*

In Epitaph.  
Nepot.

De Nepotiano suo refert Hieron. quod *lectione assidua, & meditatione diuturna pectus suam*

In epist. ad  
Lætam.

*bibliothecam fecerat Christi.* Et ad Lætam scribit de Institutione filix; *Pro gemmis & serico diuinos*

In epist. ad  
Demet.

*codices amet, hisce opibus pectoris sui cellarium locupletet.* Monet quoque Demetriadem Virginem;

*Amæ scripturas sanctas, & amabit te Sapientia, hæc monilia in auribus & in pectore tuo habeant;* Et rur-

sum;

sum; *Vnum illud tibi nata Deo, praeque omnibus vnum* In epist. ad Demetr.  
*Pradicam, & repetens, iterumque iterumq, monebo, Vt*  
*animum tuum sacra lectionis amore occupes, nec in bona*  
*terra pectoris tui sementem lolij, auenarumque susci-*  
*pias. Denique, vt finem faciam, ita hortatur* In epist. ad Celant.  
*Celantiam Matronam; Præcipua tibi cura sit, le-*  
*gem nosse Diuinam, per quam possis quasi præsentia cer-*  
*nere exempla Sanctorum, & quid faciendum sit, quid-*  
*ue vitandum, illius consilio discere. Maximum enim ad*  
*iustitiam auxilium est, implere Diuinis eloquijs ani-*  
*imum, & quod opere exequi cupias, semper corde me-*  
*ditari.*

## MONITVM XXI.

*Verbum caro factum est.*

Ioan. I.

**F**Requenter nobis ob oculos ponit Scri- Ex D. Berno-  
nard Ser. 3.  
de Vig. Nat.  
 ptura sacra mirabilia opera Dei, vt animos  
 hominum excitet ad eorum considerationē,  
 ex qua progrediantur ac proficiant ad confir-  
 mationem & augmentum Fidei, Spei, & Cha- Aug. Ench.  
cap. 3. & 6.  
 ritatis, quibus Virtutibus in hac vita Deo ser-  
 uitur. Dicit Propheta Abacuc, *Consideraui opera*  
*sua, & expaui.* Et Psalmista: *Viam iustificationum*  
*suatum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.* Et, Abac. 3.  
Psal. 118.  
Psal. 138.  
Ibidem,  
Psalm. 118.  
*Mirabilia opera tua. & anima mea cognosceat nimis.* Et  
 rursum: *Mirabilia opera tua, ideo scrutata est ea ani-*  
*ma mea.* Vbi D. August. *Quid, inquit, inter opera* August. in  
Psalm. 118.  
*Dei,*

Dei, quod non sit mirabile? si unumquodque non vsu, sed ratione motiatur. Et tamen Propbeta non est ipsa rerum admiratione perterritus, sed eam dixit potius esse causam, cur ea debeat scrutari quia mira sunt. Cum enim dixisset: *Mirabilia testimonia tua Domine, secutus adiunxit: propter hoc scrutata est ea anima mea, quasi factus sit ipse per inuestigandi difficultatem curiosior.*

Serm. 2 de  
Vig. Nat.

Tria autem opera fecit omnipotens illa Maestas, in assumptione carnis nostrae, inquit D. Bernardus, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec faciendae sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt adinuicem, Deus & homo, Mater & Virgo, Fides & cor humanum. Admirabiles ista mixtura, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuersa, tamque diuisa ab inuicem ad inuicem potuerint coniungi.

Genes. 2.

Prima ergo mixtura, seu vnio admirabilis, est, qua Deus & homo, imò Deus & Limus, (formatus est enim homo de limo terræ) in vna persona Diuina coniunguntur: tanta Maestas, & tanta infirmitas; tanta vilitas, & tanta sublimitas. Nihil enim Deo sublimius, & nil vilius Limus: & tamen tanta dignatione Deus descendit in Limum, tantaque dignitate Limus ascendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, Limus fecisse credatur; quicquid Limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quam incomprehensibili Sacramento. Vnde & D. Leo. *Virique natura*, inquit, in suis proprietatibus permanenti, tanta est vnitatis facta communio, ut quicquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum; quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum.

Serm. 8. de  
Nat.

Huius rei tam admirandæ consideratio, ad  
multa

multa nos hortatur. Inprimis ad diuinam quandam vitæ rationem ineundam. Vnde grauitèr D. Leo, *Agnosce, ò Christiane, dignitatem tuam, & diuina consors factus natura, uoli degeneri conuersatione in veterem uilitatem redire*; Deinde hortatur ad summam animi gratitudinem; hinc D. Bernard. *Aduerte, inquit, quia limus es, & non sis superbus. Quid enim superbis terra & cinis? Aduerte etiam quia Deo iunctus es, & ne sis ingratus. Altius enim ire non potes. Filius Dei, ait D. Leo, ita se nobis nosque inseruit sibi, ut Dei ad humana descensio, fieret hominibus ad Diuina prouectio*. Præterea excitat nos ad magnum proximi nostri amorem ac æstimationem, etsi fortasse statu, conditione, miseria contemptibilis videatur. Vnde idem Leo; *Non sit uilis homo homini, nec in quam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit*.

Leo serm.,  
1. de Nat.

Serm. 3. de  
Vig. Nat.

Eccles. 10.

Serm. 8. de  
Nat.

Serm. 4. de  
Collect.

Denique dat nobis æternæ salutis spem maximam. Hinc D. August. tractans illud Psalmi 64. *Ad te omnis caro ueniet; Quare, inquit, ad illum omnis caro ueniet? quia carnem assumpsit. Quid ueniet omnis caro? Tulit inde primitias ex utero uirginali; assumptis primitiis, cetera consequentur, ut holocaustum compleatur*. Etiam D. Chrysostomus primitias uocat, eam humanæ naturæ portionem, quam filius Dei assumpsit: *Filius Dei, inquit, natura nostra primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur*.

D. Aug. in  
Psalm. 64.

Homil. de  
Ascensione

Secunda unio est, Virgo & Mater; admirabilis plane & singularis. *A seculo, ait D. Bernard.*

Ibidem;

nard.

nard. non est auditum, quod virgo esset, qua peperit; quod mater esset, qua virgo permansit. Nunquam iuxta rerum ordinem Virginitas, vbi secunditas predicatur, nec secunditas, vbi virginitas integra conseruatur. Sola hæc est, in qua virginitas & secunditas obtinerunt sibi. Ibi semel factum est, quod nunquam factum fuerat, nec fiet in æternum; quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Exod 3.

Hinc etiam in rebus mirabiliter factis olim præsignata est hæc vnio. In rubo ardente, & non combusto; arsit enim Maria fecunditate, non est combusta libidinis corruptione.

Num 17.

In Virga Aaron, quæ extra terram sine humore adiecto, floruit & fructificauit; produxit enim Virgo Maria, sine opere ac femine viri, nobilem florem & fructum, Christum Dominum Salvatorem. In Gedeonis vellere & terra, mirabiliter de cælo vicissim rore madentibus: descendit enim Christus in vterum virginis, non ex viro, sed ex cælo, sicut ros & pluuia descendit in vellus & terram. Denique multa alia, quæ eò pertinent, longum esset enumerare.

Judic. 6.

Tertia verò vnio mirabilis est, fides & cor humanum. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit. Quomodo credidit, quod Deus homo esset, quod Virgo permanserit, qua peperisset. Homo lapsus impotentia corruptæ mentis, omnipotentia Dei semper aduersatur; iudicat enim id fieri non posse, quod cæci cordis non capit angustia; necesse est ergo, vt credat, imbecillitas humani ingenij potentia diuini brachij firmetur. Sicut ferrum &

scilicet



testa coniungi non possunt, sic & hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum spiritus sancti.

Ergone credendum est, ait D. Bernard. quod iste *Serm. 3. de*  
*Vig. Nat.*  
 Deus sit, qui ponitur in præcepto, qui vagit in cumis, qui omnium infantilium necessitatum iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur, excelsus & immensus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in conuiuio, in thalamo; qui ducit illam in Aegyptum, redacit ab Aegypto, & solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano: vniuerso orbi terrarum? Et tamen, inquit idem, tam facile, tam potenter, persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Inuenes & Virgines, senes cum iunioribus, elegerunt mille mortes mori, quam vel ad momentum ab ista fide deficere.

Sed operæ pretium est considerare quomodo istæ vniones ad inuicem se habeant, & quomodo hominibus profint. In prima vnione tam admirabili remedium est. Quia ex Deo & homine medicamentum confectum est, quod sanaret omnes infirmitates nostras. *Ibidem.*  
*Ibidem.*  
 Confusa sunt autem & commixta hæc duo species, ait D. Bernard. in utero Virginis, tanquam in mortariolo, spiritu sancto tanquam pistillo, illas suaviter commiscente. Hoc enim officium Redemptoris requirebat, ut Deus esset & homo. Si enim Deus tantum esset, pati non posset, & proinde iustitiæ Dei pœnas pro peccatis exigenti nequaquam satisfaceret. Si tantum homo,

*Gaius Papa*  
*in epist. ad*  
*Felic.*

tanti pretij non esset, vt condignum aliquid pro peccatis hominū exsolueret, qui omnes æternæ mortis rei erant. Ac planè etiam conueniebat, Mediatorem Dei & hominum vtramque habere naturam, vt ex vna conueniret cum Deo Patre, qui offensus erat; ex altera cum homine, qui Deum offenderat.

Euch. 108.

Vide Aug.  
de Ciuit. li  
9. cap. 15.

Lib. 10.

Conf. c. 42.

*Mediatorem inter Deum & hominem, inquit D. August. oportebat, vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis, longe esset à Deo; aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Et iterum; Verax Mediator, quem secreta tua misericordia, Domine, demonstrasti humilibus, & misisti vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatem; Mediator ille Dei & hominum homo Christus IESVS inter mortales peccatores & immortalem iustum apparuit mortalis cum hominibus, iustus cum Deo. vt quoniam stipendium iustitiæ vita & pax est, per iustitiam coniunctans Deo, euacuaret mortem iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem.*

Ibidem,  
cap. 45.

In secunda autem vnione adiutorium est, vel vasculum, ex quo remedium illud datur, & sumitur. *Quia enim nos indignieramus, quibus daretur, datum est Maria, vt per illam acciperemus, quicquid haberemus, ait D. Bernard. Qua per hoc, quod Mater est genuit nobis Deum, per hoc quod Virgo est, exaudita est pro sua reuerentia in causa totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei, vt saluaretur per filiorum generationem; si sola Virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris eius, mundi premium esset, & lauacrum. Cum ergo in prima vnione sit remedium, in secunda adiutorium est, quia nihil nos*  
Dens

*Deus habere voluit quod per manus Mariæ non transiret.*

In tertia denique mixtione, meritum est; Cum enim hæc firmiter credimus, iam meritum habemus, quo hoc remedium ex D. Virgine nobis datum, participamus; & in fide sanitas ac salus est, *Quia qui crediderit, saluum erit.* Et, *Fide purificans corda eorum.* Et, *Fides tua te saluum fecit.* Et, *Ex fide iustificatur homo.* Et, *Iustus ex fide viuit.* Fide enim agnoscimus remedium, nobis natum, nobis datum ex intacta Virgine; illud ipsum fide ex animo petimus, fide nobis ipsis per Sacramenta & similia media applicamus, sicque sanitatem ac salutem adipiscimur. Beneficio fidei, & iuste & beate viuitur, neque salutis iter hominum quisquam ingreditur, facem ei nisi prætulero: Per illam quo sit totius vitæ cursu contendendum, & qua sit eundem ostenditur, ac nisi sua luce humanæ mentis tenebras discusserit, perpetua necesse est ignorantia in nocte versetur. Hæc illa suis radijs illustratam omni errore liberat, & postquam se hic illi, paululum intelligendi auiditate repressa, submiserit, eandem obedientia suæ præmium reportaturam, ad Deum videndum introducit.

Sed nonne Christus pro nobis incarnatus ex Maria Virgine, & pro nobis in cruce passus ac mortuus, verum, & potens, ac singulare remedium est, contra omnia vulnera peccatorum, efficax ad sanitatem ac salutem omnibus omnino hominibus conferendam? Non dubium. Imò, ut ait S. Chrysostr., *Multis*

Eodem  
Serm.

Marci vi.

Luc. 7.

Actor. 15.

Rom. 1.

In cap. 3.  
ad Rom.

plura Serm. 10.

plura Christus pro nobis exsoluit, quam debeamus; tan-  
 toq; plura, quanto guttulam exiguam pelagus immen-  
 sum excellit. Cur ergo super tam multos manet ira  
 Dei, & tam pauci sanitatem ac salutem consequuntur?  
 Respondetur; Quia huius remedij participes  
 non sunt. Poculum quippe immortalitatis, inquit  
 D. Prosper, quod ex infirmitate nostra, & virtute  
 Diuina confectum est; habet quidem in se, vt omnibus  
 profit, sed si non bibitur, non medetur. Bibendum est  
 ergo vt medeatur; bibitur autem fide non fi-  
 cta, oratione deuota ac humili, suauis recor-  
 datione incarnationis & passionis Christi, &  
 pro iisdem gratiarum actione, recto ac legi-  
 timo vsu Sacramentorum, & imprimis Sa-  
 crofanctæ Eucharistiæ, vbi non tantum fide  
 Christum incarnatum ac passum accipimus,  
 eiusque incarnationis ac passionis participes  
 efficimur, sed & corporaliter ipsummet in  
 nobis recipimus.

Artic. 1.  
 falso impo-  
 sito Aug.

Gen. 2.  
 Apoc 22.  
 Aug. lib. 2.  
 de peccat.  
 mer. c. 21.

Prou 13.

Zach 13.  
 Isai. 12.  
 Prou. 9.

De. Ciuit.  
 lib. 17.  
 cap. 20.

Ipse Christus *lignum est Vita, cuius folia &  
 fructus sunt ad sanitatem Gentium*; sed decerpere  
 eos ac gustare oportet, vt sanitatem con-  
 sequamur; Vnde dicit Sapiens de æterna Sa-  
 pientia, *Lignum vita est sumentibus seu ample-  
 rentibus eam. Ipse est fons patens, domus Iuda, &  
 habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris &  
 menstruata.* Sed accedere ad fontem debemus,  
 & haurire, vt à fordibus abluamur; hinc di-  
 citur à Propheta, *Haurietis aquas in gaudiis de  
 fontibus saluatoris.* Sic dicitur de æterna Sapien-  
 tia, Verbo Patri coæterno, quod *adificauit sibi  
 domum, id est, corpus humanum in utero Virginis*, in-  
 quit D. August, *proposuit mensam, eamque va-*  
 rijs

rijs ac optimis cibis instruxit, præcipue corpore suo sacro, & sanguine pretioso, sed venire oportet, & gustare, vt patcamur & sanemur; hinc subditur: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.*

Quoniam ergo opus est, vt quod pro omnibus semel gestum est, cuiuslibet ligillatim communicetur, singulari circa vnumquemque operatione Spiritus sancti, quisque diligenter fidem suam exerceat, ad orationis & gratiarum actionis præsidia sæpe confugiat, Sacramentis Christi & Ecclesiæ frequenter ac legitime vtatur, quo per hæc & similia veluti per canales quosdam atque alueos, fructus Christi Saluatoris ex Maria incarnati, ac pro nobis in cruce mortui, ad nos deriuari possint. Qui sunt peccatorum remissio, iustitia ac sanctitas vitæ, ab insidijs Diaboli protectio, gloriosa denique resurrectio.

## MONITVM XXII.

*Panis quem ego dabo, caro mea est.*

Ioan. 6.

**E**ST aliud mirabile opus Dei, Corporalis, videlicet, præsentia Christi in Eucharistia; de quo S. August. *Christus Dominus de carne* In Psal. 98. *Maria carnem accepit, in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis hic manducandam ad salutem de-*

De initiãd. dit. Et S. Ambros. *Liquet quod præter naturã ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid quæris naturã ordinem in Christi corpore, cum præter naturã sit ipse Dominus IESVS partus ex Virgine?* Sed videmus nostro quoque tempore viu venire in hoc Diuinissimo Sacramento, quod Symeon iustus prophetauit de puero IESV; *Ecce positus est hic in ruinã, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Ponitur enim in multorum resurrectionem, eorum nempe, qui in Ecclesia Catholica permanentes, carnemque suam crucifigentes, ipsum velut antidotum contra omne venenum peccati sumunt, scientes in eo fidem exerceri sublimis mysterij, Verbi, scilicet, incarnati, imo corporaliter ibi adesse, comedique corpus Verbi, quin & ipsum Verbum.

At infideles homines, qui Christum se venerari dicunt, cum ei non credant; more Iudæorum adeo scandalisuntur, vt ob Christi corporalem præsentiam, ac inexplicabilem charitatem, nobis in hoc Sacramento præstitam, Ecclesiam Catholicam derelinquant, dicentes; *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quoniam autem & nobis non exiguum est infidelitatis periculũ; tum intus à libidine propriij sensus; tum foris abhæreticis, qui vndique laqueos errorum, & verisimiles falsitates nobis opponunt; quædam consideranda proponam, quibus & nos in fide stabiles permanere, & alios in eadem confirmare facile possimus.

Primo,

Primo, Considera, hunc fuisse perpetuum totius Ecclesiæ Catholicæ sensum & consensum; ut patet ex Concilijs Generalibus, *quorum in Ecclesia est saluberrima auctoritas*, ut inquit Augult. etiam ijs, quæ sunt ex quatuor primis, quorum definitiones velut quatuor Evangelia se recipere fatetur D. Gregorius Magnus, Pontifex. Deinde etiam ex Doctoribus Ecclesiæ, qui diuersis temporibus ac locis florentes, omnes hac de re idem dicunt & sentiunt, ac testimonium clarissimum fidei Ecclesiæ suorum temporum reddunt. Quæ totius Ecclesiæ auctoritas in Concilijs & Patribus maximè elucens, abundè sufficere debet ad hoc firmiter credendum.

Epist. 118.  
cap. 1.  
Conc. Nic.  
i. ca. 14.  
Conc. Eph.  
1. in epist.  
ad Nestor.  
Lib. 1 epist.  
cap. 24.  
Vide etiam  
in Vita S.  
Theodosij  
Cænobiat.  
chæ.

Alioqui eam si infirmare velis, iam nec Scripturæ, quam forte contra hanc fidem adfers, credere potero, quia per eam illi credideram. Cui ergo obtemperavi dicenti, Crede Scripturas esse Verba Dei; Cur non obtemperem & hoc dicenti, Crede in Eucharistia esse corpus Domini? stultum esset, nulla red-  
dita ratione, quod vis credere, quod vis, non credere. Si ad Scripturas te tenes; scimus nos tenere sanctarum Scripturarum veritatem, cum Ecclesiæ sensum sequimur, quam ipsæ Scripturæ commendant, tanquam *columnam & firmamentum veritatis*; tanquam eam, *quæ à portis inferi vinci nequit*; tanquam eam, *cum qua manet spiritus veritatis in æternū*. Credis Scripturis, ex Catholicæ Ecclesiæ auctoritate: de sensu quem habent, credes alteri, Ecclesia relicta? Deinde Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, com-

Aug. cont.  
epist. Fun-  
dam. cap. 5.

Aug. lib. 1.  
cōt Crescō  
e. 31, 32, 33

De utilit.  
credendi  
cap. 14.

motus, Christum aliquid utile præcepisse credidi; ab ea ergo optime mihi discendum est, quid præceperit. Quæ enim esset dementia; Ecclesiæ crede Christo esse credendum, à Luthero, Caluino, &c. discere quid dixerit?

Secundo; Considera Promissiones ipsi Ecclesiæ à Christo factas, contra blasphemias hæreticorum, qui Ecclesiam à mille iam annis defecisse, senio delirare, vel interruptam, aut sub paucorum hominum figmenta & somnia redactam, &c. dicere audent. Si ista vera sunt; Vbi est promissio facta Petro, *Non deficiet fides tua: confirma fratres tuos?* Et Ecclesiæ, *Porta inferi non praualebunt aduersus eam*, id est, errores, hæreses, non vincent eam; Christo videlicet illam contra eas custodiente, ac protegente? Et Apostolis; *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi?* Et Isaia Prophetæ; *Ponam Ecclesiam (in Ierusalem ortam) in superbiam (magnificentiam & claram nobilitatem) seculorum, gaudium in generationem & generationem.*

Luc. 22.

Math. 16.

Math. 28.

Isai. 60.

Isai. 2.

Vbi & illa promissio; *Erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent; Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius?* Vbi & illud fœdus datum timentibus nomen Domini, & gloriam eius, ab Occidente & Oriente; *Spiritus meus qui est in te, & verba mea qua posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Do-*

Isai. 59.



*est Dominus: amodo, & vsque in sempiternum?*

Has simileſque promiſſiones non impedit impietas multorum Prælatorum, qui in Eccleſia ſunt; ſed in eo Dominus Deus maxime declarat ſuam bonitatem, quod etiam per malos, qui eorum, quibus hæc dixit, officium gerunt, nobis benefacit; Sic nunc per malos Episcopos Doctrinæ veritatem docet, & cuſtodit; per impios Euangelistas, & Sacramentorum adminiſtros, ad ſe peccatores conuertit, & iuſtificat: ſicut olim per impios Scribas & Phariſæos docuit legem Moysi, testi-  
 monium perhibuit loco natiuitatis Chriſti, re-  
 quirentibus Magis, & ſollicitante impiſſi-  
 mo Herode; per impios Reges & idololatrias, non obſtante omni eorum idololatria, promiſſum Abrahæ & Dauid de Vnigeniti in-  
 carnatione impleuit, eos in illius generatio-  
 nem aſſumens, ad ſalutem aliorum, qui ipſi-  
 met filij ſui conſortes futuri non erant.

Matth. 23.

Matth. 2.

Matth. 1.

Tertio, Conſidera, multa alia eſſe, quæ irrefrenatæ ſenſus noſtri auerſitati aduerſantur, tamen credimus, quia Chriſtus & Eccleſia ſic tradunt ac docent: Comperis enim Chriſtum dixiſſe, *Deo poſſibile eſſe, vt Camelum per foramen*  
*acus traducat*: Imò legis, Chriſti *corpus carnem*  
*& oſſa habens*, vt omnium hominum corpora,  
*per clauſa oſſia non ſemel tranſiſſe*: Quinimo quod  
 amplius eſt, inuenis ſpiritum Dei aperte te-  
 ſtari, cuncta ſeu viſibilia, ſeu inuiſibilia, eſſe  
 facta ex nihilo: Et quod inter opera Dei ma-  
 ximum eſt, eundem Chriſtum verum Deum,  
 eſſe hominem. Et quod infinitis partibus

Matth. 19.

Marc. 10.

Luc. 18.

Ioan. 20.

Genef. 1.

maius est, magisque humano sensui ( qui nihil absque corpore, loco, tempore, numero, motu imaginari valet) absurdum: Patrem vnum Deum æternum esse, cum Filio, ac Spiritu sancto, a quibus tamen personæ proprietate distinguitur. Ex quibus quæ minus videntur esse possibilia, & tamen ab omnibus, qui qualitercunque Christiani vocari volunt, recipiuntur: disce etiam ea recipere, quæ etsi humanæ ratiocinationi apparent impossibilia, minus tamen, quam reliqua, iudicantur impossibilia.

Quarto, Considera innumera esse, etiam vñitata naturæ, quorum rationem reddere non valemus: vt quod homo hominem generat, quemadmodum bene sensit Mater

2. Mach. 7. Machabæorum, dicens, *Nescio qualiter in vtero*  
Epist. 168. *meo apparuisti.* D. Basilius Eunomium hæreticum, vt elatum eius animum, mentisque tumorem deprimeret, mittit ad formicam, vt eius naturam scrutaretur; Et si, inquit, *minu-*

*zissima formica naturam nondum es affecutus, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam, imaginatione tua comprehensam esse gloriaris? Infidelibus, inquit D. August. cum Diuina miracula predicamus,*

De Ciuit.  
lib. 21. cap.  
4. 5. 7.

*quæ illis experienda, non valemus ostendere; rationem à nobis earum flagitant rerum, quam, quoniam non possumus reddere, (excedunt enim vires mentis humana) existimant falsa esse, quæ dicimus. Ipsi, inquit, detor mirabilibus rebus, quæ vel videre possumus, vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse, esse, vel futurum, quia ratio inde non*

potest

*potest reddi, quandoquidem sunt ista, de quibus similiter non potest.*

Adfert ibi S. August. multa istius generis: vt, de calce, quod feruet in aqua, in oleo frigida est; de magnete lapide, quod nescio qua sorbitione insensibili stipulam non moueat, & ferrum rapiat: de carne non putrescente pauonis, cum putruerit & caro Platonis; de palea sic frigente, vt fluere niuem non sinat, sic calente, vt maturescere mala compellat; de igne fulgido, quod secundum suum fulgorem lapides coquendo candificet, & contra eundem suum fulgorem vrendo obfuscet. Tale est, quod & nigræ maculæ offunduntur ex oleo splendido; similiter nigræ lineæ de candido imprimuntur argento. De carbonibus etiã, quod accedente igne sic vertuntur in contrarium, vt de lignis pulcherrimis tetri, fragiles de duris, in putribiles de putribilibus fiant. De sale, qui ad motus igni, velut in aqua fluescit; cum vero aquæ, velut in igne crepitat. De fonte tam frigido diebus, vt non bibatur: tam feruido noctibus; vt non tangatur. De alio fonte, in quo faces, vt in cæteris, extinguuntur accensæ: sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ, &c.

Quinto, vt primum punctum non nihil illustremus, Considera quod S. Patres, quorum sententias adducimus, non quod ystangam Canonica auctoritate nitamur, inquit D. August. sed vt appareat, quid ab initio vsque ad præsens tempus apud Ecclesie fidem sit custoditum; cum de Eucharistia loquuntur, ita loquuntur, vt ex plano

Lib. 3. de pecc. merit. cap. 7.

no

no sensu & simplici verborum suorum, realis præsentia Christi, atque vera, non figurata, intelligatur: Neque admonent populum aliter esse intelligendum. Manifestant ergo se hoc voluisse dicere; alioqui culpâdi essent, quod populum non diligentius auertissent ab errore, qui ex eorum verbis sequebatur. Imò ipse Christus & Spiritus sanctus minus visi essent curare Ecclesiam.

Cyrril Ca-  
rech. 4. 5.  
Chrylost.  
Hom. 83. in  
Matth.

Deinde quorsum opus erat tam frequenti admonitione, vt *renuntiemus sensui nostro, & omni humana rationi* in hoc Sacramento? Quid opus erat tam serio agere ad corroborandam fidem? quandoquidem si sola figura est hic corporis Christi, nullum erit miraculû maius, quam in alijs Sacramentis. Huc accedit, quod sæpe a Patribus, cum hic locus tractatur, afferuntur *exempla transmutationum*, ex Scripturis, vt Virgæ Moyli in colubrum, & similia. Quod item de efficacia, & virtute diuini verbi tanta præfantur, vt videre est apud Ambrosium. Si enim solum vt in signo hic est Christus, nulla transmutatio, nulla opus est verbi efficacia, cum dicitur, Hoc est corpus meum.

De ijs qui  
mysterijs  
initiant, Et,  
de Sacra-  
mentis.

Sexto, Considera quod tam certa fuit hæc fides de Eucharistia apud Patres, vt ex ea tanquam certissimo dogmate, alias hæreses confutarint, vel obscura declararint: Exempli gratia, contra negantes carnis nostræ resurrectionē iudicarunt *non posse illam carnem in morte remanere, qua corpore & sanguine Christi iam immortalis, quondam fuerit in te nutrita*. Ita D. Irenæus.

næus. Alij, contra eos, qui negabant Christum veram carnem assumpsisse, dicebant, alioqui nos non habere veram carnem Christi in Eucharistiâ; sed hoc extra controuersiam est. Ita D. Ignatius, Amphiloeh. Leo.

Lib. 51. cõte.  
Hæref. &  
hb. 4. c. 35.

Qui ex eo quod in Eucharistia verè sumitur ore caro Christi, siue quod Eucharistia sit Christi caro, passa & suscitata, confutant eos qui Christum carnem nostræ carni consubstantialem assumpsisse negabant. D. autem Hilarius & Cyrill, contra Arrianos asserunt, nos non sola fide & charitate Christo coniungi, sed etiam corporaliter per esum Eucharistiæ: vt refutent argumentum Arrij, quo conabatur asserere, inter Patrem & Filium esse solum vnitatem voluntatum, eò quod non alia sit inter nos & Christum, cui quæ inter Patrem & Filium est, vnitatem, Scriptura comparet.

Vide Theodoret. Dial. 3. & 2.  
Serm. 6. de iesu. 7. mēf.

Lib. 8. de Trinit.  
In 15. & 16. c. Ioan.

Prima Synodus Ephesina, eos qui eundem IESVM confiteri nolunt filium Dei, hoc argumento conuincit, quod *Eucharistia nos viuificare non possit, si hominis tantum, non etiam filij Dei caro esset.* S. August. declaraturus quomodo aliter Spiritus sanctus per columbam, & Pater per vocem; quam filius Dei per filium Mariæ significetur, & repræsentetur; ostendit sic per columbam signari Spiritum, vt Christum per Scripturam Euangelicam: sic voce illa cœlestem Patrem significari, vt Christum prædicatione ipsius: at filium Mariæ, ita Dei filium præsentare, quemadmodum Eucharistia corpus & sanguinem Domini: Eò quod neque columba Spiritus sanctus sit,

In epist. Conc. ad Nestor,

Lib. 3. de Trinit. c. 4.

neq

nec vox illa, Pater; vti nec Scriptura, nec prædicatio Christi, verè est Christus; filius verò Mariæ, verè sit filius Dei, sicut Eucharistia corpus & sanguis est Christi.

Septimò, considera constantem Patrum doctrinam de adoratione Eucharistiæ, & corporis Domini. Ipse Apostolus vult eum qui communicat *diuiscare Corpus Domini*, hoc est, vt ait S. August. *discernere ab alijs cibo veneratione singulariter debita*. Quæ autem est illa veneratio soli corpori Domini debita, nisi qua firmiter creditur esse Dominicum corpus, quod in altari offertur, & ex altari datur, & tanquam verum Domini corpus mente & corpore adoratur? Idem S. August. cum dixisset, quod Christus carnem de carne Mariæ acceptam nobis hic manducandam dedit, subdit: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit*. D. Basilius inter non scriptas Traditiones recenset, Christi inuocationem in Eucharistia: *Inuocationis verba*, inquit, *cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit?* Et D. Ambros. *Videamus*, inquit, *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus IESVS in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus*. Sic & D. Chrysost. *Hoc corpus*, inquit, *in præsepio reueriti sunt Magi. Imitemur saltem Barbaros hos, qui cælorum ciues sumus. Illi enim cum id præsepe tantum & tugurium viderunt, summa accesserunt reuerentia, & honore. Tu verò non in præsepio id, sed in altari; non mulierem qua*  
*in vlnis*

*in vlnis teneat, sed sacerdotem presentem, & spiritum  
superabundè, super proposito diffusum Sacrificio vides.  
Sic & Theodoretus; Intelliguntur, inquit, mysti-  
ca Symbola qua facta sunt, & creduntur & adorantur,  
tanquam ea existentia, qua creduntur.*

Dial. 2. in  
Polimor-  
pho.

Hæc ergo & similia diligenter expendenda, orandusque est suppliciter Deus, vt adiuuet nos graui certamine contra propriam infidelitatem & carnalem Sapientiam luctantes, ac fidem Eucharistiæ, quæ inter tot errorum laqueos, & verisimiles falsitates ex grâdi libidine proprii sensus, vix consistit, sanam semper in nobis & incolumem conseruare dignetur.

## MONITVM XXIII,

*Quæ est ista quæ ascendit de deserto?*

Cant. 8.

**D**Eipara virgo Maria hodie cælum conscendit. Quoniam verò illi qui ex hac vita decedunt ad aliam, laudari maximè solent ex ijs virtutibus, quibus hic fuerunt ornati, visum mihi fuit, quædam ex antedictis repetere, & aliquot eius virtutes recensere, quibus se dignam cælo præstitit, quas nos pro modulo nostro imitando, locum aliquem in eius societate consequi poterimus.

Prima virtus, innocentia est, quæ tanta ei  
Deo

Deo per filium donata est; vt Spiritu sancto repletetur adhuc ex vtero matris suæ, & sancta esset, antequam nata; imò totum illud tempus, quo fuit in vtero, sine omni peccati macula transigeret. Deinde cum prodisset ex vtero, tanta tributa est ei vitæ puritas ac sanctitas, vt ab omni prorsus culpa, etiam veniali, semper esset immunis. Vt dicat S. Augustinus; *Hac virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas cum hic viuerent congregare & interrogare possemus, vtrum essent sine peccato, vna voce clamassent: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et ante hunc

De nat. &  
grat. c. 36.

Ioan. 1.

Chrysof.  
hom. 4. in  
1. c. Matth.

Epist. 174.

Denique D. Bernard. *Decuit, ait, Reginam virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, qua dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vita & iustitia omnibus obtineret.*

Luc. 14.

Luc. 1.

August. de  
Symb. ad  
Catechu.  
lib. 3. cap. 4.

Matth. 1.

Matth. 2.

Luc. 2.

Altera virtus est, Humilitas, de qua Christus; *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et ipsamet Virgo; *Respexit humilitatem ancille sue.* Quæ enim mitem humilemque Deum erat paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. Decibat, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis, mors in mundum intrauit, ita denuo per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur. Duplex eius fuit humilitas, vna exterior, quando non renuit fabro desponsari, subijci, ab eo gubernari, eum vbique sequi, manibus cum eo laborare. Hanc etiam ostendit quando apud eum filuit mysterium Incarnatio.



nationis, cum eum iure mariti, sibi præpo-  
 fuit; cum Deo iam foeta ad Elisabeth junior Luc. 1. 7  
 quidem ad seniore[m], sed tamen dignior ad  
 minus dignam, seu maior ad minorem, ei  
 congratulatura, ac obsecutura properat; cum Ioan. 2. 7  
 adest sedula pauperum nuptijs, ubi vi- Luc. 2.  
 num deficit; cum se sponte legi subiecit, &  
 pauperum hostiam obtulit; cum in partu ne-  
 gari sibi locum in diuersorio, & in stabulo  
 parere humiliter sustinuit. Denique, vt omit- Ibidem:  
 tam plura alia, cum Crucem filij, totamque Ioan. 19.  
 ignominiam coram videre, omnia improp-  
 ria coram audire humiliter tolerauit. Alte-  
 ra humilitas interior fuit; primò cum post  
 tam insignes laudes & promissa Angeli, ex Luc. 1,  
 magna animi demissione, ait, *Ecce ancilla Do-*  
*mini.* Ancillam se vocans, cum eligitur ma- Ambros. in  
 ter altissimi; nec se subitaneo exaltans pro- Luc. ad il-  
 missio, sed cum ancilla esset, paratam se an- lud; Ecce  
 cillari & obsequi in omnibus demonstrans. ancilla.  
 Eandem humilitatem ostendit, in confessio- Prosp. in  
 ne potissimum gratiæ Dei sitam, cum post epist. ad  
 magnifica præconia Elisabeth cognatæ, nihil Demetriad.  
 sibi ascribens, sed omnia Dei gratiæ deputans,  
 dixit; *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit* Beda in Lu-  
*spiritus meus in Deo salutari meo.* Tanto, ait, me cam.  
 Dominus; tamque inaudito munere subli-  
 mauit, quod non vlllo linguæ officio explica-  
 ri, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat  
 comprehendere; & ideo totas animæ vires in  
 agendis gratiarum laudibus offero, totum in  
 contemplanda magnitudine eius, cui non est  
 finis, quicquid viuo sentio, discerno, gratu-  
 lanter

lanter impendo: quia & eiusdem IESV, id est, salutaris, spiritus meus æterna diuinitate lætatur, cuius mea caro temporali conceptione foetatur.

Luc. 1.

Tertia virtus Fides est; quam quidem per omnem vitam habuit, & monstrauit; sed præcipue in Incarnatione Filij Dei. Statim enim Angelo credidit ex ore Dei loquenti, se sine viri opere, sed operatione Spiritus sancti, absque vlla sui corruptione, Deum parituram; non considerans, quod natura non habeat, vt sine viri congressu concipiatur proles, vt virgo concipiat, virgo pariat; quod nullus vnquam infans esset de Spiritu sancto conceptus, quod nullus intellectus capere posset, quomodo Deus homo fieret; & multa alia quæ videbantur suadere, non esse vera Angeli verba; sed confortata est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia *non est impossibile apud Deum omne verbum.* Deinde in morte eiusdem, maximè enituit eius fides, cum discipulis & Iudæis esset scandalum, illa stabat non tantum corpore, sed & mente, à fide

Ioan 19.

videlicet immobilis, iuxta crucem IESV, fide redemptionis & resurrectionis, & conscientia conceptionis & natiuitatis huius filij fulsa. Quæ enim antequam Christum conciperet, didicerat thesaurū suum non in terrenis bonis collocare, nō mouebatur à fide per mortem filij, memor dicti illius Gabrielis, *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Luc. 1,

Quarta

Quarta

Quarta virtus, pietas eius in Deum & cha- Luc. 1.  
Ibidem.  
ritas. Inuenit eam Angelus in penetralibus,  
oratione vtique occupatam, Deo diuinisque  
rebus intentam. Festina ad Elisabeth cognata-  
tam iuisse describitur, quia ob orationis, le-  
ctionis, meditationis studium, in secreto,  
quam in publico esse malebat. Cum Elisa-  
beth quid aliud tribus integris mensibus e-  
git, quam Diuina beneficia, Deique mirabilia  
opera deuote recolere? *Maria* (ait Lucas de- Luc. 2.  
scribens Christi natiuitatem) *conseruabat omnia  
verba hæc*; siue quæ ab Angelo, Elisabeth, Io-  
seph, Zacharia, & Pastoribus audierat: siue  
quæ ipsa in Christi conceptione ac partu ex-  
perta erat, *conserens in corde suo*. Et quadragesi- Ibidem  
mo à Christi natiuitate die, describitur mira-  
ta tanquam de rebus humanum captum ex-  
cedentibus, de his quæ de filio suo diceban-  
tur, ex natali præcursoris, ex narratione pa-  
storum, ex Magorum aduentu, ex Symeonis  
& Annæ verbis. Anno verò duodecimo Luc. 2.  
Christi nati rursus scribitur, omnia Christi  
verba & facta, siue quæ intellexit, siue quæ  
non intellexit, condidisse in corde suo; ad  
quid? nisi vt ea deuote ruminaret & contem-  
plaretur? atque ex hac contemplatione de-  
uotionem suam, spem, & charitatem excita-  
ret & augetet?

Quinta eius virtus, misericordia erga pro-  
ximos. Ex tanta enim in Deum pietate maxi- Ioan. 3.  
mè etiam diligebat proximos. Vnde pia mi-  
sericordia à filio impetrauit in nuptijs, per  
quas genus humanum subsistit, vt aquam in

Q 2 - vinum

vinum cōuerteret, sicque pudori ac necessitati indigentium subueniret. Eadem charitate ad Christum prædicantem cum cognatis accessit, vt videlicet Christus eos prudenti suo consilio, benignisque admonitionibus ad pietatem adduceret. Misericordia item adducta, cum Christi discipulis pro Spiritus sancti aduentu, vt ad ædificandam in omnibus gentibus Ecclesiam descenderet, precibus & obsecrationibus inflitit. Decebat sane illius filij, cui proprium est misereri semper & parcere, vt dicitur in oratione Ecclesię, matrem quoque summę esse misericordię; Quam generi humano meritis & precibus suis etiam iam exhibere non desinit; quæ *inobediens Eua*, vt ait Irenæus, eiusque filiorum *facta est aduocata: & salutem quam Dominus noster dispensat, illa materno affectu pro nobis ab eo postulat*, vt inquit Germanus Constantinop. Atque ex iam dictis clarum est etiam fuisse prudentissimam.

Lib. 5. cõt. hæref.

In epist ad Ioan. Epif Act 4. Synod. 7.

1. Petri 5.

Luc. 24.

Matth 17.

Sexta virtus, iustitia est, quæ suum cuique tribuit. Quid autem opus est dicere, Mariam vnicique reddidisse quod debebat? cum sub potenti manu Dei sese humiliauerit, marito subiecerit, filium illum sollicitè enutrierit, & tanquam Deum tractauerit, & vt habet Lucas, vna cum Apostolis adorauerit, Censum Cæsari, Deo in templo sacrificium, proximis misericordiam & dilectionem impenderit? Ad hanc iustitiam omnes serid hortatur Apostolus; *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debetis,*

*beatū, nisi ut inuicem diligatis.* Ab illo enim debito liberari non possumus; semper debetur, & semper redditur, inquit S. August.

In Psal. 33.  
conc. 2.

Septima virtus est fortitudo & patientia.

conc. 2.

Quemadmodum enim filius, sic & mater in hac vita, plurima tolerauit incommoda. Quæ omnia longum esset enumerare. Certè Scri-

Luc. 2.

ptura commemorat gladium pertransisse animam eius. Sed quis gladius? *Nec litera, nec historia docet,* inquit Ambros. *ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur;* sed signifi-

Lib. 2. in  
Luc.

catur maximum dolorem (meritò interficiēti gladio comparatum) penitus eius animam impleuisse. Quæ fortitudo tota eius vita, sed maxime in morte filij enituit, cum illum, ad extremum malorum deductum, pijs oculis intueri, & ei astare valuerit, nihil indecens, nihil inordinatum instar impatientium fæminarum ostendens, ut, non lacerans capillos, nec in terram decidens: sed cum ignominia filij, inexplicabilia eius tormenta, vulnera, sanguis effluens, & sæuæ inimicorum insultationes, velut gladius, cor eius pertransirent: *stabat* tamen, ut ait Euangelista, *iuxta crucem IESV.* Sciebat esse voluntatem Patris, ut filius ista pro mundi redemptione pateretur, atque utraque hac re se confortabat & consolabatur, voluntate scilicet Patris, & fructu passionis.

Ioan. 19.

Octaua denique virtus est virginitas eius & castitas, quam sic amauit, ut eam etiã per votum Deo offerret, ut testantur Doctores

Q 3

gra.

Vide Mo-  
nit. 8.

Luc. I.

grauissimi, Nyssenus & Augustinus. Quem-  
admodum etiam declarant eius verba quæ  
reddidit Angelo nuntianti, quod conciperet  
& pareret filium, vt ante dictum: *Quomodo,*  
*inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc  
est, me non cognituram voui; rem credens,  
sed modum quærens, quo res tanta fieret.  
Cum enim esset puritatis plenissima, cura  
eam tangebatur castitatis, dum ab Angelo ex-  
altanda prædicaretur, vt mater fieret filij  
Dei. Lxtissima audiuit ab Angelo, quod con-  
ceptione & partu filij Dei, nihil vortum eius  
impediretur; cum declararet, non communi  
hominum more, sed singulari operatione  
Spiritus sancti rem peragenda, cuius mira-  
bili gratia, sine pudenda libidine, & corrup-  
tione concepit, sine dolore & pœna peperit  
filium, mundi Salvatorem.

Has, aliasque Deiparæ Virginis virtutes si-  
bi quisque ponat ante oculos, diligenterque  
consideret, ac prout poterit, se ad earum  
imitationem excitet; quo, cum emigrandi  
ex hac vita tempus aduenerit, in eius socie-  
tatem recipiatur, & cum eius filio sanctisque  
omnibus in æternum gaudeat ac regnet.  
**Amen.**

MONI-

## MONITVM XXIV.

*Virtutes Sanctissima Virginis ex  
D. Ambrosio.*

**D**icit S. Ambrosius ex vita sanctissimæ I ib. 2. de  
Virginis Mariæ, in qua refulget forma Virgini.  
virtutis, sumenda esse bene viuendi exempla,  
vbitanquam in exemplari magisteria expref-  
sa probitatis, quid corrigere, quid effugere,  
quid tenere debeamus ostendunt. Atque has  
eius virtutes adiungit.

*I. Virgo erat non solum corpore, sed & mente. Illa  
virginitas hostia Christi est; inquit Hieron. cuius  
nec mentem cogitatio, nec carnem libido commaculat.*

Lib. 1. in  
Louinia.

Quam sollicitè petebat à Deo S. Cæcilia, cum  
in eius amittendæ venisset periculum, sic  
orans; Fiat cor meum & corpus meum im-  
maculatum, vt non confundar. Et Virgines bo-  
na deficient, ait Propheta. Dicit bona, quia sunt &

Amos 6.

virgines mala, inquit D. Hieron. Virgines carne,  
non spiritu. Qui viderit mulierem ad concupiscendum  
eam, iam machatus est eam in corde suo. Perit ergo &

In epist. ad  
Eustoch.  
Matth. 5.

mente virginitas. Va nobis qui quoties concupiscimus  
toties fornicamur. Et quid prodest caro integra,  
mente corrupta? Dicit S. Basilus; Et mulierem,

Hieron. ad  
Rust.

ignoro, & virgo non sum. Atque hoc explicans;

In epist. ad  
Faustin.

Flagitium quidem vitæ fornicationis, at munditiæ  
virginalis florem, arcana cordis cogitatione sedauit.

In epist. ad  
Chilon.

Corporis sanctitas amittitur; inquit S. August.  
violata animi puritate, etiam corpore intacto; sed non

Lib. 1. de  
Ciuit.

- amittitur corporis sanctitas, manente animi puritate, etiam corpore oppresso. Talem quilibet castitatem studeat habere, animi videlicet, & corporis, sequaturque illud Apostoli; Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. Caro inquinatur impudicis actibus; Spiritus impudicis cogitationibus & desiderijs. Concupiscentiam tamen non in nobis sentiendo, inquit D. Prosp. sed ei consentiendo peccamus. Consentendo, inquam, non solum in actum, sed & in eius delectationem. Vnde S. August. Voluntas se oblectandi, etiam sine voluntate operandi, damnat hominem. Ad hanc animi & corporis castitatem etiam Coniugatos hortatur Paulus, dicens; Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quod fit, quando coniugatus alienam non concupiscit, sua legitime utitur, non tantum ut nascatur proles, verumetiam ut renascatur, & enutriatur in timore Domini.*
2. *Humilis erat corde. Quam humilitate suo etiam exemplo Christus nobis comendauit, dicens; Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. De ea & Propheta; Humiles spiritu saluabuntur. Humilis demisse de se sentit, alios praefert, non iactat sua, aliena laudat, nihil sibi, totum Deo tribuit, ab eo omnia expectat. Quam humilitatem ostendit Maria, dicens; Magnificat anima mea Dominum. Et rursus; Ecce ancilla Domini. In multis foris apparet humilitas, in vestibus, verbis, moribus, &c. sed intus animus superbus est, ac inflatus. Vnde monet D. Hieron. Ne sub vili veste tumeat, animus. Quid facit sub penitentis tunica regius animus? Multi fugiendo gloriam,*
2. Cor. 7.
- De vit. cō-templ. li. 3. cap. 2.
- De Trin. lib. 12. c. 12.
- Hebr. 13.
- Matth. 11.
- Psal. 33.
- Luc. 1.
- Ad Rustic. Ad Marc. Presbyt.



riam, gloriam quærunt; & de ipso vana gloria contemptu vanius gloriantur, inquit August. Et rursum; Non solum in pompa exteriori, sed & in sordibus lutuosis potest esse iactantia, & èd periculosior, quò sub nomine seruituris Dei decipit. Sic & D. Hieron. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, atque simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem: aliud est rerum ymbra sequi, aliud veritatem. Multò deformior est illa superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis later. Valdè occultum est vitium superbiæ; Multi seipfos quærunt in rebus quas agunt, & nesciunt. Contra quod oratur; *Ab occultis meis munda me Domine.* Et; *Non veniat mihi pes superbia: ibi, id est, in pede superbia,* inquit August. *ceciderrunt, qui operantur iniquitatem.* Vnde & Sapiens; *Contributionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Patet in Davide Propheta, & Apostolo Petro. *Qui præsumpsit,* inquit August. *ille cecidit.*

3. *Erat verbis grauis.* Nihil leue, indecorum, ridiculum, multò minus inhonestum ex eius ore audiebatur. Sermo eius erat in gratia sale conditus, dans gratiã audientibus. Quod ab omnibus Christianis requirit Apostolus. Idem Paulus, inter Christianos non solum prohibet sermonem turpem, sed & stultiloquium, ac scurrilitatem. Inter quæ hæc est differentia, inquit Hieron. quod illud nihil in se sapiens & corde homini dignum habet; scurrilitas verò de prudenti mente descendit, & consilio appetit quadam vel vrbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta. Verum hæc à

Lib 10.  
Conf c. 38.  
De term.  
Dom. in  
mont. li. 2.  
cap. 10.  
In epist. ad  
Celant.

Psal. 18.

Psal. 35. &  
ibi Aug.

Prover. 16.

Colo. 4.

Ephes. 5.

In illum  
loc. Apost.

- sanctis viris propellenda, quibus conuenit lugere & flere, & non tam latos esse, nisi in fraterna charitate. *Beati qui lugent*, ait Dominus. Et Sapiens; *Cor sapientium vbi tristitia; cor stultorum, vbi latitia*. Christianum decet grauitas morum, & verborum. De Tobia dicitur, quod *nihil puerile gessit in opere*. Et iunior Sara de se; *Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me praeui*.
- Matth. 5. Apparuit Sanctissima Virgo, multis comitata  
Eccles. 7. virginibus, puellæ cuidam nomine Musæ, ac  
Tob. 1. cœlum promisit, si nihil deinceps leue aut  
Tob. 3. puellare ageret, & à risu, iocisque abstineret.  
Quod & fecit, omni leuitate, magna grauitatis manu, deterfa, inquit Gregor. & die 30. ab illa visione, assumpta est. *Inter seculares, nuga, nuga sunt; in ore Sacerdotis, blasphemia*, inquit S. Bernard. Et Poëta quidam pius leues Ecclesiasticorum sermones taxans, ait:
- Greg. lib. 4. Dialog. c. 17
- De confiderat. lib. 2.

*Ora dicata Deo, rebus referare profanis,*

*Mentem designat lege Dei vacuam.*

*Signat inane Deo cor talibus esse repletum,*

*Designat cor carni esse rebelle parum.*

Rom. 8.

4. *Erat animo prudens.* Distinguit Apostolus duplicem Prudentiam: Vnam, *Carnis*; *quæ mors est*, id est, ad mortem ducit: alteram, *spiritus*; *quæ vita & pax est*, id est, eo hominem ducit. Prudentia duo complectitur; Amorem alicuius rei, & conuenientia media ad eam consequendam. Sic quidam sunt prudentes vt ditescant, vt auari; alij, vt dominentur, vt ambi-

ambitiosi; alij vt fœminas seducant, vt luxu-  
 riosi, &c. est prudentia carnis, quæ mortem  
 operatur. Qui autem Deum & iustitiam amat,  
 & conuenientia media scit, & adhibet, v. g. *ne*  
 bene orat, bene confitetur, bene se mortifi-  
 cat, &c. vt ad Deum, eiusque iustitiam perue-  
 niat, prudens spiritu est, quæ prudentia eum  
 ad æternam vitam & pacem perducit. Con-  
 queritur Propheta; *Sapientes sunt vt faciant mala;* Hierem. 4.  
*bene autem facere nesciunt.* Et Dominus in E- Luc. 16.  
 uangelio; *Filij huius seculi prudentiores sunt in gene-*  
*ratione sua, quam filij Lucis.* Dicit Apostolus Ro- Rom. 16.  
 manis; *Volo vos sapientes esse in bono, simplices in*  
*malo,* id est, nihil aut parum de malo scire. *ne*  
 Idem Paulus, vt Christi ostenderet innocen-  
 tiam; *Eum,* inquit, *qui non nouerat peccatum, pro* 2. Cor. 5.  
*vobis peccatum fecit,* id est, sacrificium pro pec-  
 catis, vt ait, D. August.

5. *Loquendi parcior.* Hæc virtus sæpè in Scri-  
 pturis commèdatur. *Sit autem omnis homo tardus*  
*ad loquendum,* ait S. Iacobus. Et Sapiens; *Verbis* Eccles. 28.  
*tuis facis stateram.* Et; *Qui moderatur labia sua pru-* Prou. 10.  
*dentissimus est.* rationem reddit, *In multiloquo enim*  
*non deerit peccatum.* Terribiliter dixit Dominus; Math. 12.  
*De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines red-*  
*dent rationem in die iudicij, Si quis putat se religio-* Iac. 1.  
*sum esse, non refranans linguam suam, sed seducens*  
*cor suum, huius vana est religio,* ait Iacobus. Et Sa- Prou. 13.  
 piens; *Qui custodit linguam suam, custodit animam*  
*suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sen-*  
*siet mala.* Quid ergo, tacendum semper? Petit  
 Propheta à Domino ostium circumstantia labijs Pfalm 140.  
 suis. Ostium aperitur & clauditur; sic est tempus Eccl. 3.  
 loquen-

- loquendi, & tempus tacendi. Felix, & sapiens qui nouit discernere. Complures, inquit S. Ambr. vidi loquendo in peccatum incidisse, rix quemquam tacendo; ideoq, tacere nosse quam loqui, difficilius est. Citò lutum colligit amnis exundans. Quid igitur mutos nosse oportet? minime. Est enim tempus tacendi & tempus loquendi. Deinde, si de verbo otioso reddamus rationē, videamus ne reddamus & pro otioso silentio, &c.
- Plutarch. de garrul. Euripidæa Ino hoc sibi tribuit, vt teneat loqui cum tutum est, ac tacere cum opus est. Ad laudem dicitur, Dicenda, tacendaque callet. Noster Sapiens; Neretineas verbum, inquit, in die salutis. Et; Vbi non est auditus, ne effundas sermonem. Virgilius Poëta, cuidam rabulæ: Si, inquit, tempus tacendi hic scires, raro loqueretur; tacendum enim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio alijs proficit. Et alius Poëta ait;

Donatus in vita,  
Quid. 2. de arte.

*Eximia est virtus, præstare silentia rebus;  
At contra, grauis est culpa, tacenda loqui.*

Constitutionem, quæ apud Religiosos est, de seruando silentio, is cogetur fateri admodum esse laudabilem, qui volet aduertere, quot quantaque peccata vitentur, seruato silentio; item, quam alienus reddatur homo per totam vitam, à multis linguæ peccatis, qui silentium obseruare consueuerit.

Luc. 24

6. *Legendi studiosior.* Dicitur in Euangelio; Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quia enim sanctas Scripturas legerat, & nouerat Prophetas, ait V. Beda, conferebat secum ea, quæ sunt acta de Domino, cum his quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino. De ea dicit S. Ambros. quod

In c. 2. Luc.

Lib. 2. de Virgin.

tunc

tunc minimè sola esset, cum sola esset; quomodo enim sola, cui adessent tot Angeli, tot Prophetae, tot libri?

Vbique ad lectionem sacram hortatur Hieron. Ita ad Demetriadem scribit; Vnum illud te præ omnibus moneo, ut animum tuum

sacra lectionis studio occupes; nec in bona terra pectoris tui sementem lolij auenarumque suscipias. Et ad Eustochium; Orationi succedat lectio, lectioni oratio: oras? loqueris ad sponsum: legis? ille tibi loquitur.

Nosti hoc esse anima Christiana pabulum, meditari in lege Domini die ac nocte. O rectam, sinceramque vi-

eam, inquit Plinius, mecum tantum, & cum libellis loqui. O dulce otium, honestumque, & penè omni negotio pulchrius. Qui & alibi; Multum legendum, non multa. Sicut & Seneca; Lectio multorum authorum,

& omnis generis voluminum, habet aliquid vagum & instabile. Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.

Nusquam est, qui vbique est.

7. Intenta operi. Duo hic significantur, 1. quod nunquam erat otiosa; semper aliquid operis faciebat. Quod Rustico suadet Hieron. ut Diabolus, inquit, te semper inueniat occupatum. Optimum contra eius tentationes remedium. Otia dant vitia. Catonis Apophthegma est; Nihil agendo, malè agere discimus. In desiderijs est, omnis otiosus, inquit Sapiens. 2. significatur, quod illud opus, quod faciebat, siue spiritale, siue corporale, diligenter & exactè faciebat. Nos ferè ex necessitate, cum tristitia, distractione, somnolentia, intentione vana, &c. Iustè, quod iustum est, persequeris, ait Moyses. Maledictus, inquit Hierem. qui facit opus Dei negligenter. Et

Hieron. ad Demetr.

Idem ad Eustoch.

Ad Florèt,

Lib. 1. epist.

Lib 7. epist.

Senec. ep. 2.

In epist. ad Rust.

Prou. 21.

Deut. 16.

Hier. 48.

Apo-

2. Cor. 9.  
Colof. 4.

Apostolus; *Non ex tristitia, aut ex necessitate; Hilaritatem datorem diligit Deus.* Et rursus; *Oratio ubi instate, vigilantes in ea.* Sic in reliquis omnibus exercitijs vigilandum.

Horat. in  
epist.

*Si non intendas animum studijs, & rebus honestis; Invidia vel amore vigil torqueberis.* ait Poëta.

1. Tim. 6.

8. *In prece pauperis, non in incerto diuitiarum, spem reponebat, id est, non in terrenis rebus, quæ incertæ sunt, quia nescit homo, quamdiu eas sit possessurus; facile viuentem deserunt, morientem autem nec raro sequuntur.* Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Sed *in prece pauperis, id est, in oratione à paupere & humili corde profecta, qua homo sibi diffidens, ad Deum confugit, bonorum omnium fontem ac largitorem, in qua sola etiam exaudimur a Deo. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, inquit Sapiens: & sine dubio vacua non redibis, ait Bernard.* Vnde & Iudith ad Dominum, *Humilium & mansuetorum tibi semper placuit deprecatio.* Et orabat Azarias, vnus ex tribus in camino ignis; *In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipiamur à te Domine.* Sic & Dauid; *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorū.*

Ecl. 35.  
Serm. 4. de  
Quadr.  
Judith 9.  
Dan. 3.

Psalm. 101.

9. *Nullum ladebat, sed bene volebat omnibus.* Potest proximus varijs modis iniurijs affici; in animo, quando ad peccatum pertrahitur: in corpore, quando percutitur, vulneratur: in fama & honore, per detractionem, contumeliam, irrisionem: in bonis temporalibus, per furta, rapinas, vsuras. Omnis iniuria proximi, Christiano prohibita. *Nec sufficit destinare*  
*à malo,*

*a malo, nisi fiat quod bonum est; & parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse,* inquit S. Aug.

Qui & alibi: *Hic est ordo humana concordia: primum, ut nulli noceat homo; deinde, ut etiam proficiat cui poteris.* Tametii in charitate sit ordo, ut vnum præ alio diligere possimus, nullus tamen à charitate, benevolentia, ac beneficentia nostra secludendus est, quando etiam inimicos diligere, ijs qui nos oderunt, benefacere, & pro persecutoribus orare, præcepti sumus.

Virgo ergo Maria, non solum neminem lædebat; sed & omnibus bene volebat, omnibus, prout poterat, benefaciebat. Hæc est latitudo charitatis; non est contenta benefacere amicis, etiam ad hostes se porrigit. Hanc ostendit Christus in cruce, Stephanus inter lapides, & alij sancti inter iniurias, persecutiones, & supplicia, quæ illis ab hostibus inferebantur. *Qui est in charitate,* inquit S. August. *est in latitudine, quia in charitate est latitudo; mane in latitudine, & poteris diligere inimicum, quia non ea diligis, ubi ab inimico angustias pateris.*

10. *Assurgebat maioribus natu.* In Leuitico mandat Dominus; *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Quod dictum de ijs senibus intellige, qui aperta vitæ malitia, honorem senectuti debitum, non impediunt. De qualibus scriptum est; *A senioribus egressa est iniquitas:* & qualium vni dicebat puer Daniel; *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua.* De quibus locum habet illud Sapientis; *Et si quidem longa vitæ erant, in nihilum computabuntur, & sine honore vrit notissima senectus illorum.* Senectus

Sent. 86.  
apud Prosp.  
De Ciuit.  
lib. 19. c. 14

Matth. 5.

In Psal. 118.

Leuit. 19.

Daniel. 20.

Sap. 3.

cujus

Eccles. 25.

enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; canis autem sunt sensus hominis; & aetas senectutis, vita immaculata. Tres species odit anima mea, inquit Sap. & aggrauor valde anima eorum; Pauperem superbum; & diuitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum. At de venerandis senibus subdit; *Quam speciosum canities iudicium, & presbyteris cognoscere consilium? Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium? Corona senum, multa peritia, & gloria eorum, timor Domini. In antiquis est sapientia, inquit Iob, & prudentia in senibus.* Vnde Aristotelis memorabile dictum; *Mentem non nisi senibus contingere*, id est, probas ac perfectas mentis functiones & officia. Apud Gentiles magnus erat Senibus honor ac reuerentia; Vnde Poeta;

Iob 12.  
In 30. sect.  
Problem  
probl 4.

Iuuen.  
Sat. 13.  
Ouid in  
Fast.

*Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,  
Si iuuenis vetulo non assurrexerat. Et alius;  
Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,  
Inque suo pretio ruga senilis erat.*

Lib. 2. ca. 1.

Refert Valer. Max. quod senectuti iuuentus tantum honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent: exeuntes è domo, ac redeuntes honoris causa deducebant, ac reducebant. Inuitati ad mensam, posteriores accumbere, subblata mensa, priores consurgere solebant, illisque presentibus parco, ac quam modesto sermone vri. *Lysandrum Lacedamonium*, inquit, Cicero, *dicere aiunt solitum Lacedamone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum*

De Senect.



*num tribuitur ætati; nusquam est senectus honoratior.*

11. *Aequalibus non inuidebas.* Invidia mors est charitatis, quæ tantopere Christianis omnibus commendatur, sine qua nulli salus contingit. Est autem *invidia*, ut D. August. inquit; In Psal. 104. *odium felicitatis aliena*, de qua gaudet, qui proximum diligit; sicut & de malo eius tristatur. Implet illud Apostoli; *Gaudere cum gaudentibus*; Rom. 12.  *flere cum flentibus.* Nascitur autem ex superbia: ideo enim quis inuidet alteri bonum quod habet; quia vult illo haberi superior, & ideo dolet illum aliquid habere, quo est par vel maior. Hinc S. August. *Cum dixisset Apostolus*; 1. Cor. 13. *Charitas non amulatur, velut si causam quaeremus, unde fiat, ut non amuletur, continuo subdit, Non inflatur. q. d. Ideo non habet inuidiam, quia nec superbiam.* Superbiam enim sequitur inuidia, tanquam filia pedissequa: eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole, atque comite. Quibus duobus malis, superbia scilicet, & inuidia Diabolus praesit.

De S. Virg.  
cap. 31.

12. *Fugiebat iactantiam.* Misera vita est, & fœda iactantia, inquit August. Non solum quando homo se iactat de peccatis: de quo dicitur, *Quid gloriaris in malitia?* Et; *Exultant in rebus pessimis.* Aut de rebus vanis, & caducis, ut de opibus, forma, amicis, &c. de quo dicitur; *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Sed etiam de bonis quæ habet, aut videtur habere. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Deinde sæpè quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum; & sæpè sordet in

Lib. 10.  
Conf. c. 36.  
Psal. 51.

Proverb. 21  
Psal. 48.

2. Cor. 4.

Luc. 16.

R

con.

conspetu iudicis, quod in oculis fulget operantis. Dicit Poeta;

*Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.*

Horat. in  
epist.

Prou. 27.

Et noster Sapiens; *Laudet te alienus, & non os tuum.* Vult id non temere fieri, alioqui ex facto Christi, Apostoli, & aliorum Sanctorum, licet se aliquando laudare, quando, videlicet, proximi utilitas, aut propria innocentia defensio postulat. Iactabat se Phariseus, dicens;

Luc. 18.

Sal. in Iug.

*Ieiuno bis in Sabbatho; decimas de omnium quae possideo.* Iugurthae laus apud Salustium est, *Plurimum facere, minimum ipse de se loqui.* Homines, cum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt, inquit Plinius, *& quod magnificum, referente alio, fuisset, ipso qui gessit recensente, vanescit.* O si cognoscant se homines, homines & qui gloriantur, in Domino glorientur, inquit August. Et rursum; *Tolle iactantiam, & quid sunt omnes homines, nisi homines?*

Lib. 1. epist.  
ad Saturn.

Lib. 9. Cōf  
cap. 13.

De Ciuit.

lib. 5. c. 17.

## MONITVM XXV.

*De ijsdem virtutibus Deiparae Virginis,  
ex D. Ambrosio.*

13. **R**ationem sequebatur. Faciendum quod dicitur ratio, non quod cupiditas, passio, aut affectus prauus, in quibus reprimendis toti esse debemus. Etiam in rebus bonis suadent Sapientes, magis sequendum iudicium rationis, quam cordis affectum. Homini ergo, qui natura rationalis est, secundum  
ratio-

rationem viuendum est. Nec est proprie ratio, nisi recta sit, & intantum ipsa recta est, in quantum Diuinæ legi est conformis. Ita fit vt viuere secundum rationem, nihil aliud sit, quam viuere secundum Dei voluntatem, ac legem. Dicit Dauid Domino; *Tu es gloria mea, quia eius author est; tu exaltans caput meū; quia facit vt ratio, quæ est caput, siue suprema pars hominis interioris, imperet ac dominetur.* Orandus diligenter, vt hoc in nobis efficiat. *Quia tunc ratio ordinatissimum tenebit principatum,* inquit S. Leo; *si mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrena voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore, regnare peccatum non siuerit. Frenare enim, & continere corporis, quasi belluæ cuiusdam impetus decet,* ait S. Basil. *& motus turbulentos, ac tamultus, qui ab ipso animo concitantur, ratione, tanquam flagello cohibere. Non voluptatum habent omnino laxatis, sinere mentem debemus, quasi aurigam ab effrenatis equis, qui violento agantur impetu, ferri transuersam.*

Psal. 3.

Serm. 1. de  
Quadrages.

Homil. 24.

14. *Amabat virtutem. Animi nostri motus,* inquit S. Prosp. *non potest esse sine aliquo amore. Et ideo non vobis dicimus,* ait D. August. *Non ametis. Amate, sed quid ametis, videte.* Quid solent homines amare, quid quærere? diligunt vanitatē, quærunt mendacium. Vnde eos increpans Propheta; *Vt quid,* inquit, *diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quid enim sunt ista transitoria, nisi seductoria? non præstant felicitatem, quam promittunt, cum sæpe se homo miseriorem experiatur habendo, quam carendo.

Lib. 11 c. 7.  
de vocat.  
gent.  
In Psal. 31.  
in præfat.  
Psal. 4.

R 2

Aliud

Aliud ergo diligit, aliud querit. Purgate amorem vestrum, & aquam fluentem in cloacam, conuertite ad hortum. Amabas vanitatem, dilige virtutem; amabas mendacium, dilige veritatem; amabas transitoria, dilige æterna. Sed cur non amatur virtus, cum eximiam habeat pulchritudinem, & natura rerum pulchrarum appetentes simus? quia eius pulchritudo à carnalibus non videtur. *Martyres eam viderunt qui seculum calcantes, sanguinem pro ea fuderunt. Vincit autem delectatio prauam mentem mundo deditam, & esse sub sensibus delicias reputat, quia Dei suauitatem, & virtutis amœnitatem nec vidit, nec gustauit.* Amanda est autem virtus, quia placet Deo, displicet Diabolo, homini prodest. Sic contra, peccatum odio habendum, quia Deo displicet, Diabolo placet, homini nocet. Homo autem ita com paratus esse debet, vt Deo studeat in omnibus placere, & ad eum tanquã finem vltimum omnia referre. Debet etiam se de Diabolo vindicare, qui eius est capitalis hostis, nihil aliud per omnia moluens, nisi hominis interitum. Optima autem vindicta est, iuste viuere, virtutem exercere: *Vritur enim & torquetur quam maximè nostris virtutibus ac iustificationibus*, inquit S. Leo. Denique homini naturale est, seipsum amare, eaque quæ illi vtilia sunt, sectari: quomodo ergo non amabit virtutem, quæ *ad omnia vtilis est, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futura?*

15. *Arbitrium mentis solis a non hominem, sed Deum querere. Christianus totus debet esse coram Deo, & humana omnia consernere*, inquit S. August. Celata

virtus

August in  
Plalm. 32.

Kemp lib.  
3. de Imit.  
cap. 22.  
Iob 30.

Serm. 3. de  
coll. & ser.  
1. de Quad.

1. Tim. 4.

In epist ad  
Aurel.

*virtus, & in conscientia fora secreto, solum Deum iudicem respicit, ait Hieron. Qui & alibi; Prima virtus viri religiosi est contemnere iudicia hominum, & semper recordari Apostoli, dicentis; si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Dicebat Ieremias Domino; Ego non sum turbatus te pastorem sequens; & diem hominis non desideravi, tu scis. Non sis mihi tu formidini, spes mea tu in die afflictionis. Et Apostolus Paulus; Mibi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum iudico; Qui autem iudicat me, Dominus est. Gentiles, Romani & Græci, ita humanæ gloriæ avidi fuerunt, ut huius unius ingenti cupiditate, cæteras cupiditates prefferint, & mira opera fecerint, quæ tamen virtutes esse negat August. quod omnia laudis amore vitarent. De Thalete Philosopho, qui magnum auri pondus proiecit in mare, dicens: Mergam vos, ne mergar a vobis, ait S. Hieron. Gloria animal, & popularis auræ vile mancipium. De quodam, qui prætextu pietatis in patriam, reuera autem amore laudis filios occidebat, ait Poeta: *Vici amor patria, laudemque immensa cupido.* Ipse Cicero tam erat humanæ gloriæ avidus, ut obnixè petat a quodam Historico facta sua posteritati commendari; utque in eo etiam plus quam concedit veritas, mutuo amori largiretur, & in eo leges historię negligeret. Melius laudatus est Cato, inquit August. de quo Salustius; *Quò minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur. Quandoquidem gloria est, cuius cupiditate Romani flagrabant, iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ huma-**

In Epitab.  
 Fabrolæ.  
 Ad Pâmæo.  
 Galat. 1.  
 Ieremi. 17.

1. Cor. 5.

De Ciuit.  
 lib. 5. c. 12.

In epist. ad  
 Iulia.

Lucanus.

Lib. 5. epist  
 Famil.

De Ciuit.  
 lib. 5. c. 12.

2. Cor. 1.  
Galat. 6.

no iudicio contenta non est, nisi conscientia sua. Vnde dicit Apost. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra. Et alio loco; Opus suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso tantam gloriam habebit, & non in altero.

Lib. 2. in  
Iouinian.

16. Cibus plerumque obuius. Dicit S. Hieron. Quod mirandum est, Epicurus, voluptatis affertor, omnes libros suos repleuit oleribus, & pomis: & vilibus cibus dicit esse vescendum. quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparentur, maioremq; pœnam habeant in inquirendo, quam voluptatem in abutendo. Corpora autem nostra cibo tantum & potu indigere; vbi aqua & panis sit & cætera his similia, ibi naturæ satisfactum. Quicquid supra fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis; bibere & comedere non ad deliciarum ardorem, sed sitim famemque restinguere. Qui carnibus vescantur, indigere etiam ijs, quæ non sunt carniū; qui autem simplici victu abutuntur, eos carnes non requirere. Sapiencia quoque operam dare non possumus, si abundantiam mensa cogitemus, quæ labore nimio, & cura indiget. Cito expletur natura necessitas: frigus & fames, simplici vestitu, & cibo expelli potest, vnde & Apost. Habentes victum & amittum, his contenti sumus. Delicia, & epularum varietates, fomenta auaritia sunt. Grandis exultatio anima est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ diuitia comparantur, vilibus mutare cibus, & crassiore tunica compensare. Hæc Hieronymus.

1. Tim. 6.

17. *Nec vultulasit parentes, non discessit à propinquis. Qui timet Dominum, ait Sap. honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt.* Prou. 19.  
 Non dubium ergo, quin ea quæ maximè timuit Dominum, maximè etiam honorarit parentes, eisque seruiert. Rectè à Sapienibus dictum est; *vultu sapè ladirur pietas*, inquit Cicero: *Qui affligit patrem, ait noster Sap. & fugit matrem, ignominiosus & infelix est.* Et rursum, *Quam mala fama est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Propter parentes etiam propinqui & consanguinei colendi & amandi sunt, qui videlicet, ex iisdem nobiscum parentibus processerunt. Vnde propter eorum honorem prohibitum est, in quibusdam consanguinitatis gradibus Matrimonium, quod in concubitu consistat turpitudine quædam honorificentia contraria, vnde de eo homines maximè verecundantur, etiam ipsa pudicitia coniugalis, inquit Augustus. Præcipiuntur sibi mutuo etiam subuenire. *Frater*, inq. Sap. *qui adiunatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et alibi: *In tribus beneplacitum est spiritui meo; quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Primum ex tribus est, Concordia fratrum.* Pessimè agunt, qui consanguineos ob paupertatem, similemque causam aliam, despiciunt, bonis suis spoliant, persequuntur. Cum Cain & Esau iustorum fratrum persecutoribus partem habituri sunt eiusmodi. Nimis pro dolor, inoleuit neglectus consanguinitatis, vt etiam in proverbia vulgo abierit; *Fratrum quoque gratia rara est.* De Ciuit. lib. 15. c. 16 & lib. 2. c. 4 Prou. 18. Eccles. 25. Gen 4. 37.

nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura  
 conducit. Nemo quidem cum dormit, alicuius pretij est,  
 non magis, quam si non viueret. Quare quicumque vi-  
 uere & sapere cupit maxime, quam longissimo tempore  
 vigilet, sola salutis commoditate seruata. Et recte  
 monet S. Bern. Caue serue Dei, quantum potes, ne  
 totus quandoque dormias; ne sit somnus tuus non quies  
 lassus, sed sepultura corporis suffocatus, non reparatio, sed  
 spiritus extinctio. Iturus ergo in somnum, aliquid tecum  
 defer in memoria & cogitatione, in quo placide obdor-  
 mias quod etiam somnate uiuet, sic tibi nox ut dies il-  
 luminabitur. De D. Virgine dicit Ambros. Cum  
 quiesceret corpus, uigilabat animus, qui sepe in somnis  
 aut lecta repetit, aut sonitus ininterrupta continuat, aut  
 disposita gerit, aut fatara praeuinciat.

20. Nihil toruum in oculis, nihil in uerbis proax,  
 nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non  
 incessus solutior, non vox petulantior. Disciplina uirtus  
 est, inquit S. Bernard. qua corporis & mentis ha-  
 bitum componit; cervicem submittit, pondus supercilia,  
componit vultum, ligat oculos, cathinnos cohibet, mo-  
deratur linguam, gulam frenat, iram sedat, formae  
incessum. Hac uirtute, Deiparam uirginem,  
 praeter ceteris omnibus praeditam fuisse, quis  
 dubitet? Hoc & a nobis curandum diligen-  
 ter, ut animus, qui corporis, eiusque mem-  
 brorum, a Deo constructus est rector, non ea  
 exhibeat arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiae  
 Deo, hoc est, ut ijs recte utatur ad Dei hono-  
 rem & proximorum aedificationem. Sit tan-  
 quam prudens & industrius paterfamilias, cu-  
 stosque domus suae, non modò ad fures ar-  
 cendos aduigilans, sed etiam omnia lustrans,

Plato lib. 8.  
 de leg. ex  
 sententia  
 Socratis.

Ad fratres  
 de monte  
 Dei.

Lib. 2. de  
 Virginitate.

.21. mox

In epist. 114.  
 ad Sophiam.

Basil in  
 Psalm. 6.

Rom. 6.



vt quid ad domesticas rerum necessariorum  
prouisiones desit, perspiciat. Hoc nimirum  
illud est, quod Salomon vir in sapienti illa ac  
prouida muliere, Ecclesiam, atque in ea cu-  
iusquam nostrum animam describens, aie-  
bat in Prouerbijs; *Considerauit semitas domus sue.*  
Hinc dicuntur animalia, de quibus in Apoc.  
*plena oculis, non solum intus, sed & foris;* non  
enim solum interiora nostra, quæ viribus a-  
nimæ peraguntur, scrutanda & ordinanda  
sunt, sed & exteriora nostra, quæ corpore  
eiusque membris fiunt; ne quid illis commit-  
tatur, quod vel ipsum Deum, vel proximum  
merito possit offendere. *Providentes,* inquit  
Apost. *bona, non solum coram Deo, sed etiam coram*  
*omnibus hominibus.*

Prou. 31.

Apoc. 4.

Rom. 12.




P.A.S.

P A S S I O  
DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI  
EX VARIIS D. LEONIS  
MAGNI PONTIFICIS  
SERMONIBVS  
COLLECTA.

*Per patientiam curamus ad propositum nobis certamen, aspicientes  
in authorem fidei, & consummatorem IESVM, qui  
proposito sibi gaudia sustinuit crucem.*

Hebr. 12.



A N T V E R P I A E  
Apud Hieronymum Verdussen,  
M. DC. XIV.

**S. AMBROS. in Psalm. 118. (serm. 18.)**

*Meas amaritudines bibit Christus, ut mihi  
sua donaret gratia suavitatem.*

**D. AVGVST. tract. 119. in Ioan.**

*Lignum cui affixa sunt membra patientis,  
Cathedra fuit Magistri docentis.*

**S. BERNARD. Serm. 20. in Cant.**

*Super omnia reddit amabilem et mihi,  
IESV bone, calix quem bibisti.*

**THOMAS KEMP. lib. 3. cap. 11. de Imitat.**

*O fons amoris perpetui; quamado potero tui  
oblivisci, qui mei dignatus es recordari?*

SA I S V T A

IX . 00 .

P R Æ F A T I O  
A D  
L E C T O R E M.

**C**ollegi ante annos multos, pie Lector, pro  
meo privato usu, Passionem Domini,  
ex varijs D. Leonis sermonibus, quos de ea  
conscripsit, seruatim omninò eiusdem Docto-  
ris verbis; in quibus, quanta sit doctrina &  
eloquentia, qui legit, intelligit. Hanc iam pu-  
blicam facio; ut & alijs proficit: quod præcipua  
Christiani hominis occupatio esse debeat Do-  
minica Passionis meditatio. Vnde Sponsus de  
Sponsa, Christus de Ecclesia; Columba, inq. Cant. 2.  
mea in foraminibus petrae. Columbam vo-  
cat, quod simplex sit & mansueta, operibus  
fecunda, gemens in loco sua peregrinationis.  
Quiescit autem & habitat hac columba in  
foraminibus petrae, id est, in vulneribus 1. Cor. 10.  
Christi: quæ fontes sunt omnium benedictio-  
num, causa omnium gratiarum. De quibus  
Propheta; Haurietis aquas in gaudio de Isai. 12.  
fontibus Salvatoris. Id ipsum de se sponsa  
fatetur dicens; Fasciculus myrrhae dilectus  
meus mihi, inter vbera mea commorabi-  
tur. Myrrha enim passionem designat pro-  
pter amaritudinẽ. Fasciculus multis constat  
ramusculis; in passione varia sunt amaritu-  
dines, omnes sponsa colligit, & colligat in  
unum,

Serm. 43.  
in Cant.

Ibidem.

1. Cor. 2.

unum, & ponit inter vbera, vt ibi commo-  
retur. Hunc fasciculum ab incunte atate ex  
omnibus amaritudinibus & anxietatibus  
Christi Domini, collegerat sibi D. Bernardus;  
de quo ipse, Nemo, inquit, tollet eum a me,  
inter vbera mea commorabitur. Ad quod  
& alios hortatur, dicens; Hunc & vos tam  
dilectum fasciculum colligite vobis, hunc  
medullis inserite cordis, hoc munite adi-  
tem pectoris, vt & vobis inter vbera com-  
moretur. Habete illum semper, non re-  
tro in humeris sed ante præ oculis, ne  
portantes & non odorantes, & onus pre-  
mat, & odor nõ erigat. Hæc Bern. *Distinxi*  
*autem Passionem per certos numeros & pun-*  
*ctâ, quæ singula aptam & vberem meditan-*  
*di materiam poserunt suppeditare. Hanc Do-*  
*mini Passionem meditari, Christianus ducat*  
*sapientiam, in hac iustitia sibi perfectionem*  
*constituat, in hac plenitudinem scientiæ, in*  
*hac diuitias salutis, in hac copias meritum.*  
*Ex hac illi interdum potus salutaris amari-*  
*tudinis, ex hac rursus suavis vnctio conso-*  
*lationis. Hac illum eriget in aduersis, in pro-*  
*speris reprimet. Hac illi conciliat mundi iu-*  
*dicem, dum eum mitem humilemque figurat.*  
*Hac illi in ore frequenter, in corde semper.*  
*Hac sit illius sublimior Philosophia, scire IES-*  
*VM, & hunc Crucifixum.*

PAS-

PASSIO DOMINI  
EX VARIIS D. LEONIS  
SERMONIBVS COLLECTA.

1. **D**iscumbentibus discipulis ad edendā mysticam cœnam, cū in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi; ille corporis & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat qualis hostia Deo deberet offerri; nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate perstiturus. Ipse enim sibi fuit materia ruinæ, & causa perfidiæ, sequens Diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem.

De Leo  
Serm. 7.  
de Pass.

2. Dicens itaque Dominus, *Amen dico vobis, quod vnus vestrum me traditurus est*, notam sibi traditoris ac proditoris conscientiam demonstravit; non aspera, nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione conueniens, vt facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio.

Eodem  
Serm.  
Mauth, 26.

3. Cur infelix Iuda tanta benignitate non vteris? Ecce parcit aures tuis Dominus, & nulli te, nisi tibi indicat Christus; nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tantum tui arcana tanguntur. Non Apostolici ordinis honor, non Sacramentorum tibi communiō denegatur. Redi in integrum, & deposito furore resi-

Ibidem.

resi-

quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.

8. Postquam igitur Iudas persuasus à Diabolo discessit à Christo, seque à corpore Apostolicæ unitatis abscidit, nullo Dominus pauore turbatus, sed de sola redimendorum salute sollicitus; omne temporis spatium, quod à persequentium vacabat incurſu, mysticis sermonibus, sacratæque doctrinæ, sicut Ioannis Euangelio declaratur, impendit, eleuans ad cœlum oculos, & pro vniuersa Ecclesia supplicans Patri, vt omnes quos dedisset, daturusque esset Filio Pater, vnum fierent, & in gloria Redemptoris indiuidui permanerent.

Eodem.

Ioan. 19.  
& Seq.

Ioan. 17.

9. Admonitis discipulis Dominus, vt contra vim tentationis instantis vigilantiori oratione certarent, ipse Patri supplicans, ait, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Prima petitio infirmitatis est; secunda virtutis; illud optauit ex nostro, hoc elegit ex proprio.

D. Leo ser.  
5. de Pass.

10. Non enim æqualis Patri filius omnia esse possibilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem, siue sua in hunc mundum descenderat voluntate; sed vt suscipientis, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio; quod erat hominis diuinam desiderauit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam.

Eodem.  
ser.

11. Cum itaque dicit; *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste,* nostræ vtitur voce natu-

D. Leo ser.  
7. de Pass.  
Math. 26.

S

rz, &amp;

ra, & causam fragilitatis & trepidationis agit humanæ, vt in ijs quæ toleranda sunt, & patientia roboretur, & formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere excusato quodam modo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit, & dicit, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et iterum, *Si non potest*, inquit, *calix iste transire à me, fiat voluntas tua*.

Matth. 26.

Ibidem.

Eodem,

12. Hæc vox capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus, & pro omnibus patiens, Patri diceret, *Fiat voluntas tua*.

Eodem.

13. Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filij, magno pretio redempti, gratis iustificati; & cum aduersitas violentæ alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis vtantur, vt superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.

D Leo ser.  
5. de pass.

14. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & cito demonstratum est quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos, *quid oremus sicut oportet, nescimus*, & vtile nobis est, ne fiat plerumque quod volumus, Deus iustus & bonus, quando ea quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur.

Rom. 8.

Eodem ser.

15. Illis ergo verbis quandam formidinem



nem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientix metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat; vt susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suę virtutis soliditate vestiret.

16. Venerat enim in hunc mundum diues Eodem.  
 atque misericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem; pro morte dans vitam, & cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim millia angelicarum seruire legionum, malebat nostram recipere formidinem, quam suam exercere potestatem.

17. Voluntatis ergo nostræ correctionem Dominus cum trina oratione firmasset, grauatis adhuc mœrore discipulis; Dormite iam, inquit, & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. *Surgite, eamus; ecce appropinquauit qui me tradet.* Matth. 26.  
 Inter quæ verba, qui prædicti fuerant, irruerunt, & cum gladijs & fustibus comprêhesura Christum turba confluit, ducem sequens Iudas Iscarioth, qui priuilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum.

18. Impius ergo Iudas, non iam ouina pelle velatus, sed lupino furore manifestus, D. Leo ser.  
1. de Pass.

vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis, læniore omnibus telis, osculo præbuit. Et multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluerat, inter faces & laternas, lumen verum, tenebris obcæcata suis, non cernebat.

Eodem.

19. Dominus qui expectare potius turbas, quam declinare delegerat, quem quærant, necdum iuventus interrogat; illisque dicentibus, quod IESVM quærent, *Ego sum*, inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu stravit, atque perculit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles, retroacti corruerent.

Ioan. 18.

Eodem.

20. Vbi fuit sæuitiæ conspiratio? vbi ardor irarum? vbi instructus armorum? Dominus dicit, *Ego sum*, & ad vocem turba proster nitur impiorum. Quid iam poterit Maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?

Eodem. ser.

21. Dominus tamen sciens quid magis mysterio suscepto conueniret, in hac potestate non perstitit, sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam si teneri nollet, non utique teneretur: sed quis hominum posset saluari, si ille non se sineret comprehendi? Nam & B. Petrus qui animosiore constantia Domino cohærebat, & contra violentorum impetus feruo-

Matth. 26.

re

re Sanctæ charitatis exarserat, in seruum Principis Sacerdotum vltus est gladio, & aurem viri ferocius instantis abscidit.

22. Sed hunc zelantis Apostoli pium. *Eodem;*  
motum progredi Dominus vltra non patitur, recondi gladium iubet, nec liuit se aduersus impios manu ferroque defendi. Contra sacramentum enimerat redemptionis nostræ, vt qui mori pro omnibus venerat, capi nollet; ne dilato gloriosæ crucis triumpho, & dominatio Diabolica fieret longior, & captiuitas humana diuturnior.

23. Dat ergo in se furentibus licentiam *Eodem;*  
sæuiendi, nec tamen etiam talibus dedignatur se indicare Diuinitas. Aurem seruiam ipsa sectione demortuam, & à compage viuentis corporis alienam, in sedeni dehonestati capitis reuocat manus Christi, reformat quod ipse formauerat; nec tarde caro sequitur eius imperium, cuius erat ipsa figmentum.

24. Sed quod Dominus Maiestatis suæ *Eodem;*  
potentiam comprimit, & vim in se persecutoris admittit, ex illa est voluntate, qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, cooperante in hoc ipso Patre, *qui filio proprio Rom. 8.*  
*non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

25. Perpetrauerit licet ferox turba quod *D. Leo ser.*  
voluit, & de sceleris sui exultarit affectu; maior tamen comprehensi virtus, quam comprehendentium fuit. Iudæorum enim cæcitas nihil obtinuit, nisi vt sua impietate se per- *6. de Pass.*  
deret;

deret ; Christi verò patientia hoc egit, vt omnes sua passione liberaret.

Eodem, & 19;

26. Perdūxerunt autem IESVM ad Annam Caiphæ socerum, ac deinde ex Annæ transmissione ad Caipham Principem Sacerdotum, quo Scribæ & omnis sacerdotalis ordo conuenerat; falsa aduersum Dominum testimonia quærentur; Sed inter inconditas & dissonas voces, hoc IESVS mirabiliter elegerat, vt taceret.

Eodem.  
Matth. 26.

27. Caiphæ tamen dicenti, *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei;* ita veraci ac prouida autoritate respondit, vt iisdem verbis, & infidelium conscientias cæderet, & credentium corda firmaret; ad omnem interrogationem eius referens, *Tu dixisti;* addensque quod sequitur; *Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris Dei, & venientem in nubibus cali.*

Eodem.

28. Caiphæ autem ad exaggerandam auditi sermonis inuidiam, scidit vestimenta sua; & nesciens quid hac significaret insania, Sacerdotali se honore priuauit. Mystico illo sacramentoque amictu ipse se spolians, & proprijs manibus Pontificalia indumenta discerpens; oblitus præcepti illius quod legerat de Principe Sacerdotum; *De capite suo cydarim non deponet, & vestimenta non dirumpet.* Ipse verò à quo alienabatur hæc dignitas, sibi erat executor opprobrii, & ad manifestandum finem veteris instituti, pertinet eadem diruptio Sacerdotij.

Leuit. 21.

29. Cum

29. Cum autem se ad excipiendum iniquitatis iudicium Dei filius præbuisset, B. Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus esset, & commori; ancilla sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit; ob hoc, sicut apparet, hæsitare permissus, vt in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuisset euadere.

D. Leo ser.  
9. de Pass.  
Matth. 26.

30. Dominus I E S V S qui intra Pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt respexit, erexit; & in fletus pœnitentiæ incitauit. Felices lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuerunt baptismatis. Adfuit enim dextera Domini, quæ labentem, priusquam deijceret, exciperet; & firmitatem standi, in ipso periculo cadendi, recepit.

Eodem.

31. Vidit in eo Dominus non fidem firmam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundauit fletus, vbi non defuit affectus; & fons charitatis lauit verba formidinis, nec tardatum est remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. Citò itaque in soliditatem suam redijt Petra, tantam recipiens fortitudinem, vt quod tunc in Christi expauerat passione, in suo post supplicio non timeret.

Eodem.

- Eodem ser. 32. Videte autem & prudenter inspici-  
 quæ germina, & quales fructus de auaritiæ  
 itirpe nascuntur, quam merito Apostolus  
 1. Tim. 6. *radicem omnium malorum* esse definiuit; quia  
 nullum peccatum sine cupiditate committi-  
 tur, & omnis illicitus appetitus, istius audita-  
 tis est morbus. Amori pecuniæ vilis est om-  
 nis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro  
 exiguo perire non metuit, nullumque est in  
 illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi aua-  
 ritia fecit habitaculum.
- Eodem. 33. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno,  
 dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum, &  
 tam stultè impius fuit, vt triginta argenteis  
 & Dominum venderet & Magistrum. Sce-  
 Marth. 26. Ser. 3. stior omnibus Iudas & infelicio-  
 rum extitit, quem  
 non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed  
 desperatio traxit ad laqueum. Cur de eius  
 bonitate diffidis, qui te à corporis & sangui-  
 nis sui communione non repulit? qui tibi ad  
 comprehendendum se cum turbis & arma-  
 torum cohorte venientipacis osculum non  
 negauit? Remedium Saluatoris nec te, ô Iu-  
 da, transiret, si ad eam pœnitentiam confu-  
 gisses, quæ te reuocaret ad Christum, non in-  
 stigaret ad laqueum.
- Serm. 1. 34. Sed homo inconuertibilis, *Spiritus va-*  
 dens & non rediens, cordis tui secutus es rabiem,  
 Eodem. Psalm. 77. & stante Diabolo à dextris tuis, iniquitatem  
 Psal. 103. quam in sanctorum omnium armaueras ca-  
 put, in tuum verticem retorsisti; vt quia fa-  
 cinus tuum omnem mensuram ultionis ex-  
 cess-

cesserat, te haberet impietas tua Iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.

35. Pretium autem quod Christi venditor Ser. 6.  
reportauit, noluerunt mitti in gazophylacium,  
cauentes, scilicet, ne sacros loculos cruenta  
pecunia pollueret. Cuius cordis est illa simu-  
latio? Sacerdotum conscientia capit quod  
Templi arca non recipit; refutatur illius san-  
guinis taxatio, cuius non timetur effusio.

36. *Mane autem facto consilium inierunt omnes* D. Leo ser.  
*Principes Sacerdotum, & seniores populi, aduersum IESUM,* 3. de Pass.  
*vt eum morti traderent.* Hoc mane Iudæis Matth. 27.  
non ortus lucis contigit, sed occasus, non ip-  
sorum oculis solitus dies prodijt, sed impijs  
mentibus nox tetræ cæcitatatis incubuit. Hoc  
mane illis Templum, & altaria diruit, legem  
& Prophetas ademit, regnum & Sacerdo-  
tium sustulit, in luctum æternum omnia fe-  
sta conuertit.

37. Iniuerunt enim insanum cruentumque Eodem.  
consilium, vt morti authorẽ vitæ, & Domi-  
num gloriæ traderent; & tanquã extenuan-  
da esset furoris ipsorum insania, si eius sen-  
tentia, qui Prouinciæ ipsorum præsidebat,  
vterentur, vincitum IESUM ad Pilati iudicium  
deducunt, vt clamoribus impijs, trepido cog-  
nitore superato, interfectorem hominem  
eligerent ad veniam, & Saluatorem mundi  
peterent ad pœnam.

38. Hoc consilio rem gerebant, vt ab a- D. Leo ser.  
ctiõne sceleris sui viderentur immunes, sub- 6. de Pass.  
trahentes opera manuum, & exerentes tela

linguarum. Quid hac specie religionis iniustus? quid hac clementiæ simulatione crudelius? Qua lege, quod vobis non licet facere, licet velle? qua ratione quod corpora poluit, corda non lædit?

Serm. 8.  
Matth. 25.

39. Obfulerunt ergo IESVM duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere, expetentes eum executores magis sæuitiæ, quam arbitrum causæ.

D. Leo ser.  
10. de P' aff.

40. Laborans autem multis modis Iudaica impietas, vt occasionem aliquam perpetrandi in Christum sceleris inueniret, & mendacia quæ falsi testes, iniustis Sacerdotibus famulando, protulerant, cum nihil quod morte dignum esset adferrent, hoc quasi insuperabile repererunt, vt Dominum mundi affectati regni inuidia perurgerent.

Ioan. 19.

Eodem.

Ioan. 19.

41. Sed cum Pilatus IESVM, quem frustra videbat argui, vellet absolui, calumniosè & minaciter conclamarunt: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari*; stultam in simulationem imprudenter, Pilate, timuisti.

Eodem.

42. Sed formidabile fuerit nomen Regiū, vt pro Imperio Cæsaris opprimi debuerit, nouæ molitio potestatis. Si dominandi consilium tyrannicus tibi prodidit apparatus, si prouisio armorum, si congregatio diuitiarum, si præsidia detecta sunt militum.

Eodem,

43. Quid cum grauari sis, Pilate, de  
affec



affectedata potentia, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? Romanis legibus non contradixit, censum subiit, didrachma soluit, vectigalia non inhiuit; *Quæ Dei sunt, Deo, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari* reddenda constituit; paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicauit; hoc est vere non impugnare Cæsarem, sed iuuaræ.

Luc. 2.

Matth. 17.

Matth. 22.

Luc. 2. &amp; 9.

Matth. 16.

Matth. 5.

Eodem.

44. Veruntamen ne in totum inanis videatur Iudæorum obiectio, discute diligentius, Præses, quid de Domini IESU operibus notum sit, quid de potestate compertum; Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis eloquium, donauit; febres abegit, dolores resoluit, dæmonia eiecit, mortuos viuificauit, mari & ventis, vt quiescerent, imperauit.

45. Magnum prorsus Regem ista demonstrant, qui non humana excellit potentia, sed virtute diuina: hanc ergo Iudæi obijciāt potestatem, commutēt actionē suam, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calūniantur, qui cœlestia persequuntur?

Eodem.

46. Quamuis ergo Pilatus onerosum sibi, inuidiosumque sentiret, quod eum de neglectu amicitia Cæsaris impetebant, aliquamdiu tamen furorem ipsorum mitigare conatus est; & ideo Dominum IESUM diuersis contumelijs affici, aut permisit, aut suasit, vt satiata iniquitas de innocentis iniurijs ulterius non sæuiret.

Eodem.

47. Sed pertinax malitia propriis crescebat augmētis, & in quem obtinuerat ius illusionis, exigebat & mortis. Vnde & cum summi

Eodem.

mi

mi Sacerdotes & Principes Iudæorum omnique multitudo crebris vocibus acclamerent, Crucifige, crucifige, tradidit Iesum persequentium voluntati, Barabba illis latrone dimisso, ut qui in die festo authorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ.

D. leo ser. 3.  
de Pass.

48. Quod ergo Pilatus implacabilis populi victus infania, multis Iesum dehonestari ludibriis, & immodicis vexari permisit iniuriis, quodque eum flagellis cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutum, persequentium ostentavit aspectui; mitigandos procul dubio inimicorum animos existimavit, ut exsaturatis invidiæ odiis non ultra iam crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum.

Eodem.

Matth. 27.

49. Sed cum inardesceret ira clamantium, ut Barabbam indulgentia relaxaret, & Iesum crucis pœna susciperet, cum consono fremitu diceretur a turbis, *Sanguis eius super nos & super filios nostros*, obtinuerunt iniqui in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant, quorum dentes, sicut Propheta attestatus est, *arma erant & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

Psal. 59.

Eodem.

50. Frustra enim a crucifigendo Domino manus proprias continebant, in quem lætalia vocum spicula, & venenata verborum tela iaciebant. Et quicquid in supplicio Christi vel Pilati peccavit iudicium, vel cohortis obsequium, hoc illos facit humani generis odio

dio

di indigniores, quia illorum furoris impulsu nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas ipsorum non placebat.

51. Pilatum nec in accusato reperisse culpam, nec in sententia sua tenuisse constantiam, docet ipsa cognitio; in qua Iudex, quem innocentem pronuntiat, damnat, addicens iniquo populo sanguinem iusti, a quo abstinendum sibi, & intellectu proprio senserat, & somnio vxoris nouerat. Eodem.

52. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quòd famulante mente impia committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & inuidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse euasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transfuit alienum. Eodem.

53. Traditus itaque Dominus sæuientium voluntati; ad irrisionem Regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, ut impletur quod Esaias Propheta præuiderat; *Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius.* Cum ergo lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium. Esai. 9.

54. Quoniam gloriosissimus Diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debel-

debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris, signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confir-

Math. 20. maret, & diceret; *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Eodem.

Matth. 27.

55. Euntibus autem cum Iesu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inuentus est, in quem lignum crucis transferretur a Domino, vt etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum, & mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo, *Si compatimur, & conregnabimus*, vt sacratissimo saluatoris opprobrio non Hebræus quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur.

Rom. 8.

Eodem ser.

56. Per hanc enim translationem, a circumcissione ad præputium, a filiis carnalibus ad spirituales, immaculati agni propitiatio, & omnium Sacramentorum plenitudo transibat. Siquidem *Pascba nostrum*, vt ait Apostolus, *immolatus est Christus*, qui se nouum & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo, cuius iam erat finita reuerentia, nec intra septa ciuitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris, & *extra castra crucifixus est*, vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari,

1. Cor. 5.

Hebr. 13.

rati, & crux Christi, non templi esset ara, sed mundi.

57. Eunte itaque ad locum clarificationis suæ Domino, & misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, ut adimpleretur quod dictum est, *Longè a peccatoribus salus: sequebatur eum multitudo populi, & mulierum plangentium, & lamentantium eum.* Solet enim sexus infirmior etiã pro ijs qui morte digni sunt, in lacrymas commoueri, & damnatorum exitus, pro naturæ communis consideratione, misereri.

Pfal. 118:  
Luc. 23.

58. Sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Denique conuersus ad eas; *Filia, inquit, Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas & super filios vestros flete. Quia venient dies, in quibus dicent, Beata steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera qua non lactauerunt.* Vbi est tristitia crucifigendi? vbi formido morituri? Non terret passuri animum hora supplicij, & docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denuntiando vindictam.

Eodem,

59. Non est, inquit, quod dolere in me Ierusalem filia debeatis, pro vobis plangite, & pro vestris filiis eiulate. Super illos fundantur isti ploratus, quos tales viscera vestra genuerunt. Lugendum plane vobis est, non de salute credentium, sed de impietate & temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior & mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi re-

Eodem,

demptione morientem, quem in Maieftate Patris videbitis iudicantem.

D. Leo fer.  
4. de Paſſ.

60. Peractis itaque omnibus quæ Diuinitas fieri carnis velamine temperata permifit, Ieſus Chriſtus filius Dei, cruci, quam etiam ipſe geſtarat, affixus eſt; duobus latronibus, vno ad dextram ipſius, alio ad ſiniſtram ſimiliter crucifixis: vt etiam in ipſa patibuli ſpecie monſtraretur illa, quæ in iudicio ipſius omnium hominum eſt facienda diſcretio, cum & ſaluandorum figuram. fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blaſphemantis impietas prænotaret.

Serm. 6.

Iſaia. 12.

61. Crucifigitur autem in loco cui nomen Golgatha, & per lignum erigitur lapſus in ligno; & guſtu tellis & aceti diluitur eſca peccati. Merito priuſquam traderetur dixerat Dominus; *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham*, id eſt, totam humani generis agam cauſam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur.

Serm. 4.

62. Paſſio igitur Chriſti ſalutis noſtræ continet ſacramentum, & de instrumento quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam. Quam Dominus Ieſus ita ad hominum ſuſcepit ſalutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfecto-ribus ſuis paternæ clementiæ ſupplicaret, & diceret; *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Luc. 23.  
D. leo fer.  
15. de Paſſ.

63. Obcæcati enim Iudæi malitia ſua, in quod

quod prorupissent facinus, nesciebant. Vnde misericors Dominus IESVS, qui etiam interfectores suos vellet sua morte saluare, pro ignorantia scilicet de crucis altitudine supplicabat, dicens, *Pater, ignosce illis, &c.*

64. Tanta erat circa interfectores suos pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed illis postularit ignosci. De cuius orationis potentia fuit, ut prædicatione Petri Apostoli, ex ijs qui dixerant, *Sanguis eius super nos, &c.* multorum ad poenitentiam corda conuerteret, & *vna die baptisarentur tria fere millia Iudaorum, fieretq; omnium cor vnum, & anima vna*, paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi.

Serm. 11.

A G. 2.

A G. 4.

65. Ex crucifixis autem cum eo duobus Latronibus, statutis utrimque patibulis, vnus ad id vsque tempus, par similisque consorti, insidiator viarum, & salutis hominum semper infestus, vsque ad crucem reus, fit Christi repente confessor; & inter illos acerrimos corpori animique cruciatus, quos simul & instantia & difficultas mortis augebat, mira conuersione mutatus, *Memento*, inquit, *mei Domine dum veneris in regnum tuum.*

D. Leo. s.  
2. de Pas.

Luc. 23.

66. Quæ istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuuit? quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non adierant; & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem.

Eodem,

T

67. Inde

**Luc. 23.** 67. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum; ait enim ei Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Excedit humanam conditionem ista promissio, nec tam de ligno crucis, quam de throno additur potestatis, ab illa altitudine præmium fidei datur, in qua chirographum humanæ transgressionis aboletur, quia se à forma serui, Dei forma non dirimit, dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem unitatemque suam seruauit, & Deitas inuiolabilis, & anima passibilis.

**D. Leo ser.  
15. de pass.**

68. Quod autem Verbum caro patiebatur, non Verbi pœna erat, sed carnis; cuius iniuræ atque supplicia etiam ad impassibilem redundabant, ut merito ei dicantur illata quæ in ipsius corpus sunt admissa, dicente Apostolo; Si cognouissent, Dominum gloria nunquam crucifixissent.

**1. Cor. 2.**

**Serm. 8.**

69. Exaltato igitur per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est, Et eris pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vita tua. Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur.

**Deut. 28.**

**Eodem.**

70. Noster vero intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriã crucis cælo terraque radiantẽ puro ac libero corde suscipiat, & interiore acie videat quale sit quod Dominus cum de Passionis sue loqueretur instantia, dixit;



dixit: *Venit hora, ut clarificetur filius hominis.* Et, *Ioan. 17.*  
*Nunc, inquit, turbata est anima mea, & quid dicam?* *Ioan. 12.*  
*Pater, salva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc*  
*horam. Pater clarifica filium tuum.* Et, *Nunc iudici-*  
*um est mundi; nunc Princeps huius mundi ei cietur fo-*  
*ras.* Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham*  
*ad meipsum.* O admirabilis potentia cru-  
 cis, ô ineffabilis gloria passionis; in qua &  
 tribunal Domini, & iudicium mundi, & po-  
 testas est crucifixi.

71. Principes autem Sacerdotum quibus *D. Leo se.*  
 indulgentiam saluator petebat, supplicium *4. de Pass.*  
 crucis, irrisionum aculeis asperabant, & in  
 quem manibus amplius scuire non poterant,  
 linguarum tela iaciebant, dicentes; *Alios sal-* *Matth. 27.*  
*uos fecit. seipsum non potest saluum facere. Si Rex Is-*  
*rael est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.*

72. De quo erroris fonte, Iudæi, de quo in- *Eodem:*  
 vidia lacu, talium blasphemiarum venena po-  
 tastis? Quis vobis Magister tradidit, quæ  
 doctrina persuasit, quod illum Regem Israel,  
 illum Dei filium, credere deberetis, qui se  
 crucifigi non sineret, aut à confixione clauo-  
 rum, liberum excuteret? Non hoc vobis le-  
 gis mysteria, non Paschalis obseruantia Sa-  
 cramenta, nec vlla vnquam ora Propheta-  
 rum cecinerunt:

73. Sed illud verè abundè que legistis, *Eodem:*  
 quod ad detestabilem vestri sceleris impieta-  
 tem, & ad voluntariam Domini pertinet pas-  
 sionem. Ipse enim per Esaiam loquitur:  
*Dorsum meum dedi ad flagella, maxillas meas ad pal-*  
*mas, faciem autem meam non auerti à confusione spu-*  
*torum.*

Pl. 68.

Pl. 21.

torum. Ipse per David: *Dederunt, inquit, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Et iterum, Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et ne iceleris tantum vestri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænuntiata crucifixi, non quidem legistis, Dominus descendit de cruce, sed legistis, *Dominus regnavit à ligno.*

Pl. 95.

D. Leo ser.  
17. de Pass.

74. Non vestræ cæcitatæ arbitrio ostendenda erat potentia Salvatoris, nec secundum preces blasphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti; cum si Deitatem filij voluissetis agnoscere, innumera opera eius videretis, quæ vos ad eam, quam fallaciter promittitis, fidem, confirmare debuerint. Si autem, ut ipsi profiteri, alios saluos fecit, cur illa tot & tanta miracula, quæ sub publico facta sunt conspectu, in nullo cordis vestri duritiam mollierunt? nisi quia ita semper sancto Spiritui restitistis, ut omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? nam etiam si descenderet Christus de cruce, vos tamen hæreretis in crimine.

Eodem.

75. Spreta ergo sunt vanæ insultationis opprobria, & misericordiam Domini perditam & collapsam reparantem, nullæ contumeliæ, nulla contumacia sui via propositi remouerunt. Offerebatur enim Deo pro salute mundi  
hostia

hostia singularis, & occisio Christi veri agni per tot secula prædicata, promissionis filios in libertatem fidei transferebat.

76. Deinde caput nostrum Dominus Iesus, omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in psalmo eructauerat, id in supplicio Crucis sub redemptorū suorum voce clamabat; *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Vox ita doctrina est, non querela. Nam cū in Christo, Dei & hominis vna persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo non poterat separari; pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caro pati metuense exaudita non fuerit?

D. Leo ser.  
16. de Pass.

Psal. 21.

77. Cur ergo in ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho causam & rationem, qua sit relictus, id est, non exauditus, inquit: nisi ut ostendat alium esse illum affectum, quem ad humanæ formidinis excusationem recepit, alium illum, quem ex æterno placito Patris pro mundi reconciliatione præelegit? Vnde ipsa vox non exauditi, magni est expositio Sacramenti, quod nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat, nostra obtineret infirmitas.

Eodem.

78. Ideo ergo Dominus voce magna clamabat, dicens, *Quare me dereliquisti?* Ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed saluentium manibus derelinqui, hoc est, Salvatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem, non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxilij, sed definitione moriendi.

D. Leo. ser.  
17. de Pass.

Ser. 6.

79. Pendente autem in patibulo creatore, vniuersa creatura congemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt; nihil ab illo supplicio liberum fuit: hoc in cōmunionem sui & terram traxit & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna referauit, & densarum horrore tenebrarum, radios solis abscondit.

80. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, vt in occasu auctoris sui, vellent vniuersa finire. Sed patientia Dei seruat rebus & temporibus ordinem suum, nosque in illum potius vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimen horremus.

Ser. 4.

81. Hinc iam degustato aceto Dominus quod illa dabat vinea, quæ ab auctoris sui plantatione degenerans, conuersa fuerat in amaritudinem vitis alienæ; *Consummatum est*, ait, hoc est, *Completæ sunt Scripturæ*; non est amplius quod insaniã populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me passurum esse prædixi. Peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis.

Ioan. 19.

*Inclinato itaque capite emisit spiritum*, & in corpus tertio die suscitandum, quietem placidi soporis admisit.

D. Leo ser.  
9. de Pass.

82. Hoc est illud Sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria. Nunc

Gen. 4.

sanguis iusti Abel, mortem summi Pastoris eloquitur, & in parricidio Iudeorum, Cain in-

Gen. 6. &amp; 7

terfector fratris agnoscitur. Nunc diluuium & Noe arca manifestat, quid sit renouationis in baptismo, & quid salutis in ligno. Nunc

Abraham

Abraham gentium Pater promissos acquirit Gen. 22.  
 hæredes, & in semine eius, non germen car-  
 nis, sed fidei propago benedicitur. Nunc ad Rom. 8.  
 prænuntiatum festis omnibus festum, sacer  
 nouorum mensis enituit, vt in quo accepit  
 mundus exordium, in eodem haberet Christi-  
 ana creatura principium.

83. Emittente autem spiritum Christo, Serm. 2.  
 omnia elementa tremuerunt. Densus tene-  
 bris splendor solis obductus, extraordinarie  
 nocti subdidit diem, stabilitatem suam terra  
 profundis concussionibus labefactata non te-  
 nuit, & petrarum firmitas contracta solidi-  
 tate dissiluit. Velum templi, quo priorum  
 mysteria non erant vltius obumbranda,  
 discissum est; & multorum sanctorum cor-  
 poribus excitatis, ad præmuniendam resur-  
 rectionis fidem monumenta patuerunt.

84. In vos ergo Iudæi cælum & terra sen- Eodem.  
 tentiam tulit, vobis sol seruitutem suam di-  
 emque subtraxit, vobis famulatum suum ele-  
 mentorum ordines denegauerunt, & rece-  
 dente à legibus suis ministerio creaturæ, ve-  
 stra obcæcatio, vestra est significata confusio.  
 Vobis enim dicentibus, *Sanguis eius super nos &*  
*super filios nostros*: merito hoc retributum est,  
 vt quod vestri generis impia perdidit portio,  
 assequatur hoc fidelis gentium plenitudo.

85. Cumque custos supplicij Centurio Ser. 17.  
 territus ijs quæ viderat diceret; *Vere filius*  
*Dei erat homo iste*; impietatem tamen Iudaicam Match. 27.  
 monumentis & petris omnibus duriolem,  
 nullaproditur mitigasse compunctio, vt ap-  
 pareat

pareat paratiores ad intelligendum filium Dei tunc fuisse Romanos milites, quam Israeliticos sacerdotes.

**D. Leo ser.**  
**18. de Pas.**

86. Hoc magnæ pietatis Sacramentum, sicut Iudaica impietas, ita Diabolica superbia nesciebat; Si enim cognouissent Dominum gloriæ, nunquam crucifixissent. Sed quia hostem generis humani latebat consilium misericordiæ Dei, & opposito carnis velamine, *Deus in Christo mundum sibi reconcilians*, tegebatur, perilit in eum furere, in quo suum nihil poterat inuenire.

**2. Cor. 5.**  
**Ioan. 14.**

**Eodem.**

87. Nam & malignitati eius hoc magis potuisset prodesse, si parceret, & se ab effusione eius sanguinis abstineret, per quem omnium erat soluenda captiuitas, & reparanda libertas. Sed *lucem tenebra non comprehenderunt*, nec mendax cæcitas sapientiam potuit veritatis inspicere.

**Ioan. 1.**

**Ser. 11.**

88. Deus enim vt humanum genus vinculis mortiferæ præuaricationis absolueret, & fauienti Diabolo potentiam suæ Maiestatis occulit, & infirmitatem nostræ humilitatis obiecit. Si enim crudelis & superbus inimicus, consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Iudæorum animos mansuetudine potius temperare, quam iniustis odijs studisset accendere, ne omnium captiuorum amitteret seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.

**Eodem.**

89. Fefellit ergo illum malignitas sua, intulit supplicium filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur; fudit sanguinem



1. Cor. 1.

mentis excessit diuini altitudo consilij : *com-  
placuit Deo per stultitiam prædicationis , saluos facere  
credentes , vt mirabilior fieret constantia fidei  
ex difficultate credendi. Inconsequens enim  
& irrationabile videbatur , recipere animo,  
quod Creatorem omnium Creaturarum , in  
substantia veri hominis Virgo intemerata pe-  
perisset, quod æqualis Patri filius Dei, qui im-  
plerat omnia, & contineret vniuersa, furem-  
tium manibus comprehendi, iniquorum iu-  
dicio condemnari, & post dedecus illusio-  
num, cruci se permisisset affigi.*

Eodem.

94. Sed in ijs omnibus simul sunt & hu-  
militas hominis & celsitudo Deitatis, nec  
misericordiæ ratio Maiestatem miserentis  
obscurat, quia de ineffabili potentia factum  
est, vt cum homo verus est in Deo inuolabi-  
li, & Deus verus est in carne passibili, con-  
ferretur homini gloria per contumeliam, in-  
corruptio per supplicium, vita per mortem.

Eodem.

95. Nisi enim Verbum caro fieret, & tam  
solida consisteret vnitas in vtraque natura,  
vt à suscipiente susceptam, nec ipsum breue  
mortis tempus, abiungeret, nunquam vale-  
ret ad æternitatem redire mortalitas. Sed ad-  
fuit nobis in Christo singulare præsidium,  
vt in natura passibili, mortis conditio non  
maneret, quam impassibilis essentia recepisset,  
& per id quod non poterat mori, posset  
id quod mortuum erat suscitari.

Eodem.

96. Huic Sacramento vt inseparabiliter  
cōgruamus, magna nobis & animi & corpo-  
ris intentione nitendum est, vt cum grauif-  
simi



fimi sit piaculi festū Paschale negligere, pe-  
riculosius sit Ecclesiasticis quidem conven-  
tibus iungi, sed in Dominicæ passionis con-  
sortio non haberi. Nam dicente Domino, *Qui* Matth. 10.  
*non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me*  
*dignus.* Et dicente Apostolo, *Si compatimur, &* Rom. 8.  
*conregnabimus* : quis vere Christum passum,  
mortuum, & resuscitatum colit, nisi qui cum  
ipso patitur, & moritur, & resurgit ?

97. Et hæc quidem in omnibus Ecclesiæ Eodem.  
filijs ipso iam regenerationis sunt inchoata  
mysterio, vbi peccati interitus vita est rena-  
scentis, & triduanam Domini mortem imita-  
tur trina demersio, vt dimoto quodam aggre-  
re sepulture, quos veteres suscipit sinus fon-  
tis, eosdem novos edat vnda baptismatis.

98. Sed implendum est nihilominus o-  
pere, quod celebratum est Sacramento, &  
natis de Spiritu sancto, quantumcumque  
superest mundani temporis, non sine crucis  
susceptione ducendum est. Quamuis enim  
forti & crudeli tyranno per potentiam cru-  
cis Christi vasa antiquæ deprædationis erepta  
sint, & dominatio Principis mundi, à redem-  
ptorum sit eiecta corporibus; insidiari tamen  
etiam iustificatis eadem malignitas perseue-  
rat, & multis modis eos in quibus non re-  
gnat, impugnat, vt si quas animas negligentes  
imprudentesque repererit, sæuioribus eas  
laqueis rursus innectat, & à Paradiso Eccle-  
siæ raptas, in consortium suæ damnationis  
inducat.

99. Vnde cum quispiam obseruantia Eodem.  
Chri-

Egal. 118.

Christianæ limitem se sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad Crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat, ac voce Prophetica ad Dominum clamet, & dicat; *Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudicij enim tui timui.*

Gal. 6.

100. Quid autem est clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu diuini continere iudicij? vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere, *Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ibi ergo se constituat Christianus, quo eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, vbi scit humanam saluatam esse naturam.

*Iudicium, infernus, caelestis gloria, nec non  
Mors tua, mors Christi, sunt meditando sibi.*

BRE-

BREVIS ELUCIDATIO  
DOMINICÆ PASSIONIS

E X  
VARIIS DOCTORIBVS  
COLLECTA.

*De tristitia Christi.*

**T**ristis est anima mea vsq; ad mortem. Cœpit  
Christus passionem suam ab animæ  
afflictione, ac deinde ad corporis pas-  
siones progressus est. Quia & anima primum  
per vanam lætitiã, & superbiam, in Paradiso  
violata est; quæ corruptio deinde manuit  
ad corpus. Sensus autem verborum Christi  
est; Plenus sum tristitia: quæ aded magna est,  
vt si paulò maior foret, planè me opprimeret.  
Sic S. August. Vel, vt D. Hiero. Nunc trista- In psal. 86.  
tur anima mea, & hæc tristitia durabit vsque In com-  
ad mortem. Ne quis autem putet paruam fu- ment.  
isse, nota eam a Prophetis admodum peculia-  
riter esse prædictam. *Cor meum conturbatum est* Psal. 54.  
*in me, & formido mortis cecidit super me,* inquit apud  
Psalmistam. Et; *Intrauerunt aqua vsq; ad ani-* Psal. 68.  
*am meam.* Et; *Repleta est malis anima mea, &c.* Psal. 87.

Fuit autem alterius rationis tristitia in  
Christo, quam in nobis. In Christo non mo-  
uebat ad illicita, nec iudicium rationis per-  
turbabat, aut impediabat, sicut in nobis, sed  
eam

Leo ser. 16.  
de Pass.

eam voluntarie præeunte rationis iudicio suscepit. Suscepit autē. 1. Vt pro peccatis nostris satisfaceret. 2. Vt veritatem humanæ naturæ ostenderet. 3. Vt patientiæ nobis præberet exemplum. 4. Ad humanæ tristitię, & formidinis excusationem. 5. Vt omnem noxiam, & scrupulosam tristitiam, & anxietatem a nobis auferret. 6. Vt salubrem tristitiam, videlicet, de peccatis nostris & alienis; ac veram lætitiã, de Deo, eiusque donis ac promissis, largiretur.

Causæ huius tristitiæ fuerunt. 1. Grauis-  
simi cruciatus, quos iam imminentes coram oculis, & in imaginatione tanquam præsentés sibi proponebat. 2. Considerabat omnia omnium hominum peccata esse sibi a Deo Patre imposita, pro quibus satisfacere deberet, tanquam ipse omnia perpetrasset. 3. Præuidebat ingrati-  
tudinẽ & infidelitatem Iudæorum: Apostolorum scandalum & lapsum; Iudæ proditionem, Petri negationem, reliquorum fugam. 4. Tot denique futuros Christianos, qui laborem, sanguinemque eius tam partii facturi, imò conculcaturi essent. Hæc ergo præuisa mire grauabant Christi cor, vt loquendi modo, & toto corporis habitu, ac incessu tristitia ipsa se foris proderet, quam & verbis aperiens, *Tristis est, inquit, anima mea vsque ad mortem.*

Hanc tristitiã etiam declarauit sudor sanguineus toto corpore guttatim violenter erumpens. Naturaliter quidem homo intus valde afflictus sudat; at quod sanguinem, id-  
que

que per guttas, maximæ violentiæ est, & in Christo miraculum erat, sicut quod mortuus emisit sanguinem & aquam. Sic necesse erat Christum sudare, vt nos in extremo sudore, & agone de eo audeamus confidere. Et designabatur, quod ex passione animæ Christi Sacramenta totum Christi corpus mysticum ablutura, efficaciam haberent. Deinde, quod in omni statu ac genere hominum inuenirentur Martyres, qui sanguinem pro Christo funderent, sicut ille toto corpore sanguinem sudauit.

August. in  
psal. 85.  
Prof. 140.  
sent. 68.

### De Christi oratione.

**T**ranscat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed tu. Hanc orationem fudit ad Patrem. 1. Seorsum a discipulis, docens vitandam omnem in oratione distractionis occasionem. 2. *Procidens in faciem*, in signum magnæ humilitatis & reuerentiæ: & ne externas ceremonias ac ritus contemnamus. 3. Eundem sermonem ter repetens, docens nos in eadem re petenda perseuerare, & non esse inutile, in oratione eadem verba sæpius repetere. 4. Nunc breuius, nunc prolixius orans, docuit nos prolixam vel breuem orationem fundere, prout magis conuenit pro informando affectu. Orauit autem patrem. 1. Vt ostenderet se a Patre profectum. 2. Vt nobis orandi præberet exemplum. 3. Vt nobis orandi mereretur affectû, inquit Damascenus. 4. Vt Diabolus videns eum deprecantem mortem,

Matth. 26.

Vide Aug.  
in epist. ad  
Proban.

Lib. 3. ca.  
24.

merum

In Aneo-  
ratu,

merum hominem putaret, & sic non vereretur Iudæos in mortem eius impellere, vt Epiphani.

Pfal. 27.  
Matth. 27.

Oratione autem hac expressit Christus desiderium sensualitatis, ac naturalis voluntatis, quæ mortem secundum se consideratam exhorrescebat, ac refugiebat. In qua oratione non est exauditus, vnde ipse in Psal. *Clamabo per diem, & non exaudies.* Et in cruce: *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Causa est, vt dum non exauditur, exaudiri dignissimus, nos qui verè indigni eramus exaudiri, propter eum exaudiremur. Exauditus est autem in omni oratione, quam ex parte deliberatæ rationis orauit. Hinc ipse Christus ad Patrem; *Ego sciebam, quia semper me audis.* Sensus autem orationis est; *Oro vt amarum istud poculum passionis ac mortis a me auferatur.*

Ioan. 11.

In psal. 103

Matth. 26.

Priori autem parte huius orationis, ostendit, inquit S. August. quid oraturi essent infirmi, (quorum hic personam accepit) sed posteriori parte ostendit, quid orare deberent infirmi, videlicet; vt in omnibus Dei voluntas fiat, eamque illi in omnibus sequantur. Quod ergo orat infirmitas, *Transfer a me calicem istum;* corrigit ratio; *Veruntamen non sicut ego volo.* humana, naturali, ac sensitua voluntate; *sed sicut tu,* voluntate Diuina.

Quod autem dicitur *factus in agonia;* certabat non caro contra spiritum, sed natura contra mortem, cupiens se conseruare. Sicut omne brutum agonizat, dum debet mori, certans contra interitum. *Nolumus despoli-*  
*ati,*

ari, inquit Apost. Tam dulce est anima & carnis  
 consortium, ait August. ut etiam p̄y plerunq; in tan- 2. Cor. 51  
Epist. 120.  
 ta miseria, etsi sciant restare meliorem vitam, cupiant ca 6.  
 differri mortem. Excellebat nos Christus, inquit Epist. 11.  
 Leo, non diuersitate natura, sed sublimitate virtutis.  
 Nihil enim carnis suae habebat aduersum; nec discor-  
 diam desideriorum gignebat repugnantia voluntatum.  
 Sensus namq; corporei vigeant sine lege peccati, & ve-  
 ritas affectionum sub moderamine Destatis & mentis;  
 nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis.

### De admonitione Christi ad

Discipulos.

**S**ustinere hic & vigilate mecum. Petit ab homi- Matth. 26.  
 nibus consolationem; sicut & ab angelo  
 accepit, propter infirmorum excusationem,  
 qui consolationē quærunt. Ipse ea non ege-  
 bat. Semper autem discipulos dormientes in-  
 ueniens, arguit eos, quod dormirent, immi-  
 nente, videlicet, tanto suo periculo; & cum  
 Iudas cum suis non dormirent, sicut Catho-  
 lici dormiunt, hæreticis vigilantibus. Sollici-  
 tus ergo de ijs, *Vigilate*, inquit, & *orate*, ne intre- Ibid.  
 ris in tentationem, id est, ne ab ea vincamini. Si  
 hoc dicitur Apostolis, qui omnia reliquerant,  
 & iam corpore & sanguine Domini muniti  
 erant, & tam salutaria ac confortantia mo-  
 nita audierant in cœna, quanto magis nos  
 post omnia pietatis munimenta, conuenit  
 esse intentos ieiuniis, & orationibus omni  
 tempore, ne a tentationibus superemur?

V

*Vigilate*

*Vigilate & orate.* Primum dicit, propter liberum hominis arbitrium : Secundum propter necessarium gratiæ adiutorium. Vtrumque in omni opere bono oportet coniungere. Non enim sufficit nostrum vigilare, sine Dei adiutorio. *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat, qui custodit eam.* Tamen dicitur, vigilate, ne putetur hoc fieri a Domino, sine humano opere : tametsi diuina directio præcipuam partem obtineat. *Qui enim aguntur spiritu Dei, hi sunt filij Dei.*

Psal. 126.

Rom. 8.

*Spiritus enim promptus est, caro autem infirma.* Primò intelligitur spiritus noster, sed quatenus spiritu Dei renouatus est, promptus & paratus est ad resistendum tentationibus, sed nos ipsi ad hoc infirmi, quatenus adhuc corrupti & carnales. Væ impiis, qui toti adhuc caro sunt. Secundo intelligitur Spiritus non noster, qui ex se tardus, segnis, tepidus, languidus, sed Spiritus sanctus, qui promptus dicitur, quia nos proniptos facit. Sicut interpellat, loquitur, quia nos interpellare & loqui facit, vt August. Ex illo ergo promptitudinem habemus, ex nobis infirmitatem ; & ideo iubet Apostolus, *Vt cum metu & tremore salutem nostram operemur. Deus enim est, inquit, qui operatur in nobis velle & perficere.* Sed si Deus est qui operatur, qui omnipotens, quem nemo vincit, quæ ergo causa timendi ? *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Timere debemus, inquit Leo, *ne deserti adiutorio gratiæ, remaneamus in infirmitate nature, & sic labamur. Necessè est enim vt quo adiuuante vincimus, eo rursus non adiuuante, vincamur,*  
inquit

Epist. ios.  
De bono  
perica. 23.  
Philip. 2.

Rom. 8.  
Ser. 8 de  
Epipha.



inquit Cælestinus primus, ex epist. Innocen- In epist.  
tū primi Pontif. cap. 6.

### De captiuitate Christi.

QVam autem libenter voluntatem Patris  
impleret, nullamque hominum multi-  
tudinem ad eum capiendum valere posse, ni-  
si se eorum manibus traderet, patet, ex iis quæ  
captiuitatem præcesserunt. 1. Quod hostibus  
obuiam ierit; *Surgite, eamus, ecce appropinquat,  
qui me tradet.* Fugerat ante quæ situs ad regnum;  
occurrit, cum quæreretur ad supplicium: *pro-  
posito sibi gaudio*, inquit Apost. *sustinuit crucem,*  
*docens nos, ait Grego. prospera contemnere & timere,*  
*aduersa pro veritate diligere, ac tolerare.* 2. Quod  
Iudæ osculo, signo amicitia, eum tradenti, se  
osculandum præbuerit; humaniter eum al-  
loquens; *Amice, cui tot beneficia exhibui, pa-  
ratus, si pœniteas, plura impendere, ac in gra-  
tiam recipere; ad quid venisti? recogita pro-  
positum tuum, non facis amici officium, sed  
pessimi inimici.* Multi Iudam imitantur,  
amici ore, proditores in corde. De osculo  
Iudæ ita D. Ambros. *Amoris pignore, vulnus in-  
fligis? & charitatis officio, sanguinem fundis? & in-  
strumento pacis, mortem irrogas? seruus Dominum;  
discipulus Magistrum; electus auctorem?* 3. Quod  
Petrum passionem impedire volentem cohi-  
buerit; *Conuerse, inquit, gladium in vaginam.*  
Significans quod non vult lædi eos, qui Mar-  
tyres faciunt. Rogat D. Augustinus Præfectum Epist. 159  
quendam pro duobus captiuis, qui Martyres  
fecerant;

V

fecerant;

fecerant; Si, inquit, *amicum non audis rogantem, audi Episcopum precipientem*: Ut commendetur mansuetudo Ecclesiæ, & ne per vindictam quid derogetur gloriæ Martyrij. *Omnis enim qui acceperit gladium*, videlicet, nulla superiore vel legitima potestate vel iubente vel concedente, *gladio peribit*, id est, dignus est qui gladio pereat, vel, ob vsum gladij, merito illius peccati peribit. Illis autem amputata est spiritualiter dextera, vt Malcho corporaliter, qui Diuina non audiunt; Deus sanet illos. Impij iusto mortem inferebant, ipse persecutorum vulnera sanabat; nec sic flexi. 4. Quod si voluisset Christus, potuisset infinitam Angelorum multitudinem conuocasse, quorum vel vnus omnes illos feroces ac truculentos facile prostrasset: Sicut vna nocte in castris Assyriorum vnus angelus occidit 185. millia hominum. 5. Quod cæcitate eos percussit, vt agnoscere eum, si voluisset, non potuissent; Sicut Sodomitæ ita percussi cæcitate ab angelis, vt ostium Loth inuenire non possent. 6. Quod vel vna voce, *Ego sum*, omnes qui ad se capiendum venerant, in terram prostrauerit; ita vt nihil omninò potuissent, nisi eis vires reddidisset; nolens impediri suam passionem, pro salute hominum susceptam. Si hoc agnus tacens, quid faciet leo rugiens?

Sed cur Christi miraculis in passione conspectis non crediderunt Iudas, Iudæi, Gentiles? Quia interna Dei operatione est opus, vt quis credat, non tantum externis miraculis. Cur habito optimo cibo, & optimis phar-

macis,

4. Reg. 19.

Gen. 19.

macis, moritur homo? Quia ut cibus, & potiones iuuent, interna virtus naturæ adesse debet. Sic etiam est in spiritu, cuius virtus iam peccato perdita non redditur, nisi singulari admodum gratia Christi Mediatoris.

*In illa hora dixit Iesus turbis; Tanquam ad latronem existis. &c. quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis, quia, videlicet, nondum venerat hora eius. Sed hæc est hora vestra, in qua, videlicet, vobis permittitur facere quod vultis; & potestas tenebrarum, id est, tenebris data, Diabolo & angelis eius; Sicut illi data fuit potestas, ut tentaret Iob; illi autem instrumenta Diaboli erant. Ac per hæc verba permisit se capi & ligari. De quibus vinculis D. Cyrill. Vincula omnium reorum Domino immittunt, qui ad naturam nostram descendit, ut a peccati & Diaboli vinculis nos eriperet, & a potestate tenebrarum, & segregaret nos ab impijs. Hic ergo impletur illud Prophetæ; Spiritus oris nostri Christus Dominus, id est, qui dat nobis vitam & flatum; captus est in peccatis nostris. Discipuli autem relicto eo, animo per infidelitatem, corpore per fugam, in pedes se coniecerunt. Prædixerat enim Propheta, Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Nemo autem eorum simul captus, protecti verbo saluatoris, Sinite hos abire. Quam crudeliter autem illum inuasent, quam inhumaniter tractarint, cuique meditandum relinquitur.*

Iob 1.

Tract. 66.

&amp; 12 1. ca.

9. in Ioan.

Threnor. 4.

Zachar 13.

Ioan. 18.

*De domo Annæ, Caiphæ, eiusque  
interrogatione.*

**V**inctum Dominum primò ducunt ad domum Annæ, qui erat focer Caiphæ, honorantes eum tanquam seniore, & captam prædam ei ostendentes. Qui & pepigerat cum Iuda, ut Cyrillus ait, & Iudas hic pecuniam accipiebat, iniquitatis mercedem. Deinde duxerunt eum ad domum Caiphæ Pontificis, ubi scribæ & seniores conuenerant. *Interrogauit autem eum Pontifex de doctrina eius, qualis eñt; & de discipulis eius, quare eos congregaret, an ad occupandum regnum vel quid simile.* Cupiebat ex ore Christi audire aliquid, quo videretur indicare doctrinam suam esse seditiosam, & discipulos ab eo congregari ad excitandos tumultus contra Moysen, vel Romanos. Et vtrique quæstioni Christus obiter respondit, Doctrinam suam omnibus palam esse propositam, ideoque satis notam. Cum igitur manifesta esset doctrina, satis patebat, quid Christus doceret discipulos, an Romanis rebellare, occupare regnum, &c. *Cur me interrogas, inquit, cum videlicet, antea de sceleribus meis informatus esse deberes, priusquam me caperes.* Nec generales quæstiones criminales proponendæ sunt, ut qualis est doctrina tua, sed, tu hoc illo tempore docuisti, &c.

*Vnus autem de seruis Pontificis, ad complacendum*

In Ioan.  
lib. 11. cap.  
87.

dum iniquo suo domino, dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Expende quis & a quibus patitur & percutiatur; Creator a creaturis, Deus ab hominibus, qui vno momento potuisset omnes ad ima inferni detrudere; & obtupesce. Respondit Iesus; Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, cur me cadis? Vbi notandum, quod dicit D. Cypria. Christum semper honorem seruasse Sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent: vt cum leprosum mundasset, Vade, inquit, & ostende te sacerdoti; Sacerdotem appellans, quem sciebat esse sacrilegum. Et hic, cum alapam accepisset, nihil ille contumeliosè in personam Pontificis locutus est, sed magis innocentiam suam tuitus est. Est exemplum in Prato spirituali de quodam Seueriano hæretico, qui Eucharistiam proiecit in lutum, cui post allitens quidam veluti Æthiops, Ego, inquit, & tu ad vnum supplicium condemnati sumus. Et quis es tu? rogat ille. Ego sum, inquit, qui Christum Dominum tempore passionis in maxilla percussi. Vide te quibus sint similes, & quomodo puniendi Sacramenti violatores.

Lib. 3.  
epist. 9.

Cap. 39.

Quoad doctrinam Christi, D. August. agens contra eos qui dicebant eam Reipub. noxiam, propter aliquas Scripturas nõ benè intellectas; vt, Diligite inimicos, Nolite resistere malo. &c. Dent, inquit, tales milites, tales prouinciales, maritos, vxores, patres, filios, Dominos, seruos, Reges, Iudices, &c. quales esse præcipit doctrina Christi, inuenient si ei obtemperetur, esse Reipub. maximè salutarem. Attendant solum præceptum de Caritate,

Epist. 5.

Epiſt. 3.

tate, quod ibi maximè commendatur, cui nulla *diſputationes & liſera Philoſophorum*, inquit Aug. *nulla ciuitatum leges ſunt comparanda*. Quod ſi obſeruetur, nulla omninò in Repub. erit perturbatio, ſed quieta & tranquilla omnia.

### De falſis testimoniis.

Lib. 5. ca. 6.

**I**Niquus Caiphas ſeruum non redarguit, ſed videns Chriſtum rationabiliter reſpondere, conatus eſt alia via crimen in eo inuenire, nempe per falſos teſtes, quos paſſus eſt ipſa veritas, vt mendacia ab ore noſtro aboleret. Refert Euseb. a perſecutoribus Chriſtianorum conſicta fuiſſe acta apud Pilatum de paſſione Chriſti, & per omnes prouincias diſſeminata, plena blaſphemijs & mendacijs. Si de Chriſto talia ſcripta, quid mirum de ſeruulis? *Venite*, dicunt impij, *percutiamus iuſtum lingua*. Eſt communis perſecutio ſanctorum, de qua S. Cypria. *Hoc ſemper opus eſt Diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret & opinionibus falſis glorioſum nomen inſanet; vt qui conſcientia ſua luce claſcunt, alienis rumoribus ſordideantur*.

Iere. 18.

Lib. 4.  
epiſt. 2.

Ieſus autem ad falſa teſtimonia tacuit; ſciebat enim quicquid reſpondiſſet, ad calumniam trahendum; nocuiſſet, non profuiſſet. *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem*, ait Sap. Et Iſaias prædixit; *Sicut agnus coram tondente ſe, obmuteſcet*. Sæpè quidem reſpondit malis, ſed propter bonos præſentes, & quando illis prodeſſe poſſumus, non curandus reproborum interitus.

Eccleſ. 32.

Iſai. 53.

interitus. Si nulla speratur utilitas, tacendum, ne authores simus blasphemiarum. Tacuit ergo Dominus. 1. Ut nobis linguæ continentiam largiretur. *Qui moderatur labia sua, prudensissimus est*, inquit Sap. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* 2. Ut impias, dicaces, iurriles, & ineptas fabulas a nobis auferret, quibus de omni otioso verbo ratio reddenda est, quanto magis de obscæno, perituro, detractio, blasphemia. &c. 3. Ut excusationes nostras, quibus facile peccata nostra solemus excusare, extingueret. Contra quod orat David; *Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Dicit quidam sapiens; *Passione interdum mouemur, & Zelum putamus; Sæpè malè agimus, & peius excusamus.* 4. Ut fiduciam nobis loquendi largiretur, quando loquendum nobis foret pro Christi gloria, eiusque Ecclesia. *Ne retineas*, inquit, Sap. *verbum, in tempore salutis, quando Dei gloria, veritatis honor, utilitas proximi id postulat.*

Prou. 10.  
Iac. 1.

Matth. 12.

Psal. 140:

Kemp. Nb.  
2. cap. 5.

### *De adiuratione Caiphæ.*

**C**Aiphæ autem silentij impatiens, *surgens*, quod commotum animum significat, ac proinde ad iudicandum inidoneum, vacuus enim esse debet omni perturbatione animus iudicis, ira, odio, fauore, misericordia; quod etiã gentilis dixit: *Ait, adiuro te per Deum vsuum, id est, mando tibi sub attestatione Dei vini, seu*

Cæsar apud  
Salust. in  
Catilina.

V 5 si quem

si quem honorem exhibes Deo, *dicat nobis, si tu es Christus.* Qui audito nomine paterno, & sacerdotis imperio, reuerentia paterni nominis, & Sacerdotij ymbratici, ne Deum videretur inhonorare, confessus est, & non negauit, quia *ego sum Christus.* Tu, inquit, *dicis, videlicet, vt res se habet.* Et addit, *Amodo post hoc tempus, vel post modicum tempus, videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cali.* Quod dicit, vt ostendat Iudices semper præ oculis habere debere extremum illud Iudicium, in quo is qui pro nobis iniuste iudicatus est, iustum iudicium, sine personæ cuiusquam acceptione, iudicabit. Vnde & Apostolus Paulus coram Præside Felice *disputat de castitate, iustitia, & iudicio,* tanto rerum ac verborum pondere, vt tremefactus Præsides sermonem abruperit. Et non solum iudices illud Iudicium ante oculos habere debent, sed & omnes homines: Idque optimum esset contra peccata remedium, vt docet D. Basil. Quod autem dicit Petrus, *Cum pateretur, non comminabatur;* id intelligendum, ex ira, & odio, vt homines solent; alioqui, vt concionator, minatus est Iudæ, Phariseis, Caiphæ, ligno arido, &c. vt eos conuerteret, & alios ab eorum imitatione reuocaret.

Hoc audito, Caiphæ in signum maximæ displicentiæ, & vt auget inuidiam criminis, etiam contra legis præceptum, scidit vestimenta sua. Moris apud Hebræos fuit, cum quid contra Diuinum honorem factum, dictumue esset, qui hoc accepissent, vestimenta sua

1. Petri 1.  
Act. 24.

In Psal. 33.  
1. Pet. 3.

Leuit. 10.  
&c.



ta sua scindere confucuisse. Vnde Ierem. 36. Ierem. 36.  
 crimini datur Regi Ioachim & seruis eius,  
 quod cum liber Propheticus igni traditus  
 esset, ipsi videntes, non scidissent vestimen-  
 ta sua; sicut fecerat Ezechias rex, cum Rab- Isai. 37.  
 facis blasphemias audisset. Id tamen Sacer- 4. Reg. 19.  
 dotibus vetitum erat. Significatur autem my-  
 sticè quod à gente Iudaica Sacerdotalis di-  
 gnitas cum lege auferenda esset, vt D. Leo. Ser. 6. de  
 Sicut & resurrectio ipsius è sede, significauit P. ff.  
 vacuam apud Iudæos Cathedram Pontificis Hieron. in  
 mansuram. Scidit autem vestimenta sua, comment.  
*dicens, Blasphemaui*, id est, iniuriose contra Deum  
 locutus est, dum dixit se esse Christum fi-  
 lium Dei, sessurum à dextris, venturum ad  
 iudicandum. *Quid adhuc egemus testibus?* quibus  
 eum Dei adueriariū, morteque dignissi-  
 mum esse conuincamus. *Ecce nunc audistis blas-*  
*phemiam Quid vobis videtur?* Qui respondentes  
 dixerunt, *Reus est mortis*, id est, dignus est mo-  
 ri. Blasphemus occidi iubetur in Leuit. 24.  
 Leuitico. Iniustam sententiam tulit, vt nos acerbita-  
 tem iustæ contra nos sententiæ in eius iudi-  
 cio euaderemus. Et vt mortem eius faceret  
 pretiosam, non solum vita, sed & causa, vide-  
 licet, confessio veritatis, ob quam & Marty-  
 res passi sunt; vnde ipse Dux & caput eo-  
 rum. Quorundam mortem pretiosam facit  
 sola causa, vt Innocentum; aliorum, sola vita, Vide Bern.  
 vt confessorum; aliorum verò, & vita & Serm. 41.  
 causa, vt Martyrum. Utinam pro huius ini- in par.  
 quæ contumeliæ & condemnationis merito,  
 omnia Christianorum tribunalia dignetur

terrere timore venturi iudicij, & dirigere iudices, vt solā iustitiam præ oculis habeant, scelera puniant, inique oppressos defendant, falsa testimonia conuincant, fraudes detegant, celeriter ius dicant : Ideo enim hæc omnia passus, vt ista faceret.

### *De illusionibus & iniurijs Christi.*

**P**ostquam fuit condemnatus morte, varijs eum iniurijs affecerunt. 1. Expuerunt in faciem eius, apertam, nondum velatam; & ministri, & iudices, vnde ipse Christus; *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* 2. Colaphis, id est, pugnis clauis, eum cæciderunt. 3. Alij palmas, id est, manus apertas, in faciem eius dederunt; Vnde de eo Propheta; *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* 4. Qui & velauerunt eum, vt possent ei illudere, tanquam Prophetæ; *Propheta a nobis, quis est qui te percussit? Dixisti te Christum & Prophetā, dic, quis tibi hanc vel illam alapam dedit? ostende te nosse secreta.* 5. Ex Isaia constat, quod ei etiam barbam euulserint; vnde ipse; *Genas meas dedi vellentibus.* Lucas addit, *Multa alia eos blasphemantes in eum dixisse.*

Causas assignat S. Hieron. ob quas ista passus sit Christus. *Condemnant eum, inq. reum mortis, quo reatu suo nostrum reatum solueret; & velamine faciei suæ velamen cordium nostrorum auferret; & sputaminibus exceptis faciem animæ nostræ lauaret;*

¶

& colaphis, quibus in caput percussus est, caput humani generis, quod est Adam, sanaret; & alapas, quibus expal-matus est, maxima laus eius nostris manibus, & labijs plauderet. Cæditur etiam nunc Christus blasphemij falsorum Christianorum, & ab hæreticis & alijs, qui eius doctrinam & Sacramenta violant. Donatistis altaria Catholicorum subuertentibus, & Sacramenta violentibus, dicit Optatus Milevit. *Hoc modo Iudæos imitati estis; illi Christum percusserunt in passione & cruce; à vobis percussus est in altari.* Illi etiam Christiani Christum percutiunt & crucifigunt, qui ea faciunt, propter quæ ipse percussus & crucifixus est, id est, peccata. Pater de filio; *Propter scelus populi mei percussit eum.* Et Propheta de eodem; *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.* Impij reprobis actibus eum exacerbantes, quasi illudetes, dicunt ei, Quis est qui te percussit? dum ab illo cogitationes suas & opera tenebrarum cognosci non existimant. Qui verò gratiam Christi & redemptionem nolunt agnoscere, aut cognitam contempnunt, illi velant.

Lib 6 cont.  
 Donat.  
 Hebr. 6. 10.  
 Videt Cant.  
 lib. 2. c. 49.  
 Num. 10.  
 Isai. 53.  
 Isai. 53.

### De Pœnitentia Petri, eiusque negatione.

**P**etrus qui Christum à longe secutus erat; & opera discipuli Pontifici noti, intromissus; qui ante tam præsumptuosè se gesserat; nunc ter, & quidem à vilibus homunculis victus est; vt disceret humiliter de se sentire; à Chri-

à Christo cæteris prælatus ; disceret & subditis peccatoribus compati, & in sola Dei misericordia confidere. In eius negatione quædam notanda. Primò, diligenter notanda est etiam Sanctorum virorum fragilitas, vt nemo, quantumuis sit sanctus, nimium confidat. *Nemo est tanta firmitate suppositus, vt de sua stabilitate debeat esse securus ; hinc etiam à prouectissimis sanctis quotidie supplicatur, Et ne nos inducas in tentationem.* Secundò, negat Petrus Christum, dum se negasse eius discipulum. Et quisquis negat se Christi discipulum vel Catholicæ Ecclesiæ filium, quocumque nomine id significet, sciat se negare fidem Christianam, & Christum. Tertio notandum, quod negauit Christum in societate impiorum, imò in aula Principis Ecclesiastici, qui ante tam strenue se gesserat in societate discipulorum, confitens eum esse Christum, filium Dei viui. vt discamus societates impiorum, aulas Principum etiam Ecclesiasticorum fugere, in quibus peccata vitare difficile. *Amicus stultorum similis efficietur,* inquit Sapiens. Et, *Exeat aula qui vult esse pius.* Quarto, aduertendum, Petri malitiam semper creuisse, nam primò simpliciter negauit ; secundo, periuurium addidit ; tertio, iuramentum execratorium ; vt intelligamus quod grauitas peccati, & Diaboli tentatio, peccatorem non statim resurgentem semper ad grauiora trahat, vt ait Gregorius.

Postremo notandum, quod post negationem primam gallus cantauit, & non est conuersus

Leo ser. 5.  
de Quadr.

Prosp lib. 2  
de vocat.  
gent.

Aug. tract.  
113 in Ios.

Matth. 16.

Prou. 13.

Lib. 23.  
Moral.

uersus Petrus : & quod inter secundam , & tertiam negationem , horæ vnius spatium intercesserit , & non est recordatus verbi Domini , quia nondum respexerat eum Dominus , nec ab ira furoris sui erat auersus. Demum autem secundo galli cantu verbi Iesu recordatus est , quando videlicet eum respexerat spiritualiter , non corporaliter ; quia Petrus foris erat & deorsum , Iesus autem intus & sursum . Non solum enim respectus misericordiæ Dei necessarius est , quando agitur pœnitentia , verumetiam vt agatur , præuenire debet , vt declarat August. Et D. Ambros. alludens ad istam historiam deuotè precatur ; *Iesu labentes respice , Et nos videndo corrige ; Si respicis , lapsi stabunt , Fletuque culpa soluitur .*

Vide Aug.  
de Conf.  
Euang.

*Et egressus foras , fleuit amarè .* Quamdiu in societate impiorum fuit , peccatum suum non defleuit : Misericordia autem Dei , eum ante omnia respiciens , hoc ei præstitit , vt illam relinqueret , & sic præ amoris diuini magnitudine , corde perplexo , & amaritudine pleno , peccatum suum defleuit . Vnde sic orat Ambros. *Respice Domine Iesu Christe , vt sciamus nostrum lugere peccatum , lauare delictum .* Et alios hortatur ; *Si imitatus es Petrum peccantem , imitare amarè stentem .* Et verè pœnitenti ac benè agere volenti , necessaria fuga prauæ societatis . Vnde pœnitens in primo Psalmo pœnitentiali ; *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem .* Et alibi ; *Declinate a me maligni .*

Ambros.  
in Luc.

Psal. 6.  
Psal. 118.

De

## De Pœnitentia Iudæ.

Sap. 5.

Matth. 27.

Pœnitentia Iudæ infructuosa fuit, instigans ad laqueum, non ad remedium. In qua primò considera eam similem fuisse pœnitentiæ damnatorum, videlicet, sine spe veniæ; in quo plus peccauit, quam Dominum tradendo. Nihil aliud ei defuit; Non dolor, pœnitentiæ enim ductus erat; Non confessio, peccauit, inquit, tradens sanguinem iustū. Non restitutio; restitit triginta argenteos. Sed abiens, laqueo se suspendit. Deo enim ad Christi gloriam disponente, iustum confitetur Christum, sæuissimus hostis Christi, coram sæuissimis hostibus.

Secundò hoc nota, Diabolum & homines impios, hanc habere consuetudinem, vt peccata primum extenuent, & temporalia bona proponant, neglectis æternis; at peccato perpetrato, omnia grauiâ facit Diabolus, & peccatum exaggerat, vt desperationem iniiciat. Tunc derident te impij, qui ante aureos montes promittebant.

Tercio, tales non eant ad socios, vt Iudas, sed ad viros pios, qui consolentur, doceant, rogent pro illis. Si ad Petrum iam mentem, Virginem Mariam, ipsum Christum confugisset, non abiisset inconsolatus. Ita ad Iudam D. Leo: Cur, ô Iuda, de eius bonitate diffidis, quite a corporis & sanguinis sui communionem non repalis? Qui tibi, ad comprehendendum se venienti, pacis osculû non negauit? Remedium saluatoris nec te transires,

*irer, si ad eam pœnitentiam confugisses, qua te reuocaret ad Christum, non instigaret ad laqueum.*

### De domo Pilati.

**A**dduxerunt autem Iudæi IESVM Vincitum, tanquam iam damnatum ab eis, & morti addictum, ad Pilatum. Pro more enim habebant, vt quem morti adiudicassent, ligatum traderent iudici Romano. Cum autem viderent illum nolle Christum condemnare, causa non cognita, cœperunt eum accusare de tribus. Primo, de subuersione gentis. Secundo, de prohibitione tributorum. Tertio, quod se Regem diceret. Subuersionem gentis non admodum curauit Pilatus, paruifaciens legem Iudaicam; secundum crimen sciebat ab eis confictum; nouerat enim ex aliorum relatione illum dixisse; *Reddite qua sunt Cæsaris, Cæsari.* Tertium, aliquousque eum mouit: poterat enim hoc vergere in detrimentum Imperij Cæsaris; domini sui. Interrogauit ergo eum, *Rex estu?* Respondit Christus, *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Sed *regnum meum non est de hoc mundo, id est, cum hoc mundo transiens. Non Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos, inquit August. Sed quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum calorum credentes, sperantes, amantesque perducat.* Non est eiusdem conditionis, cuius sunt regna mundi, in diuitijs, honoribus, pa-

Matth. 22.

Traçt. 50. in Ioan.

Ioan. 18.

ce terrena, &c. Et vt ostendat regnum suum esse mylticum, regnum iustitiæ & veritatis, quibus venit ad regnum æternum, subdit; *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: & omnis qui ex veritate est, audit vocem meam.* Rogauit eum Pilatus, *Quid est veritas?* Quo dicto, non expectans responsum, exiit ad Iudæos, & dixit eis; *Ego nullam in eo inuenio causam, videlicet, mortis, & hoc frequenter, testans eius innocentiam.* At illi *instanter accusabant eum in multis,* audiente Christo, & tacente; vnde ei Pilatus; *Non audis quanta aduersum te testificantur? At ille non respondit ei vnum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer,* videlicet, eius constantiam, quod mentis esset tam imperturbatæ, vt non conaretur repellere mortem per doctrinam, & eloquentiam, sciens esse doctorem legis. Sed ostendebat Christus se omnino voluntarie mori; Qui enim inuiti moriuntur, quid non moliantur, vt euadant? *Dixit autem Pilatus ad IESVM; Mihi non loqueris? An nescis quia potestatem habeo dimittere, vel crucifigere te?* Respondit Christus; *Non haberes vllam in me potestatem, nisi tibi datum esset de super.* Quod quiuis iustus dicere potest hosti suo, siue Diabolo, siue homini impio, inquit S. August. *Tantum enim potest inimicus, quantum permittit Deus, non amplius. Vnde omnis noster timor, deuotio, atque obseruatio ad Deum conuerri debet,* inquit D. Cyprian. *quia malo nihil lices, nisi potestas inde tribuatur. Exinde querebat Pilatus oportunitatem dimittendi IESVM, & ab eo se expediendi; motus fortè*

Videlib.

83. q. 9. 79.

In tract. de  
Oratio.  
Dom.



forte etiam reuelatione vxoris, ne se rebus iusti iustius immisceret. Quam non à Diabolo, qui, vt Iudæi, in sua malitia vsque ad finem perseuerauit, sed à Deo immissam dicit Hieron.

In cōment.  
in Matth.

### *De missione Christi ad Herodera.*

**O**btulit autem se oportunitas, audiens eum esse Galilæum, & de iurisdictione Herodis, qui tunc ibi erat. Ad eum ergo missus est. Et gauisus est Herodes eum videns; putabat enim eum magicis & secretis artibus miracula facere, quas artes & ipse discere cupisset, utpote totus vanus existens; sicut nobiles sunt, qui Deum non timent; qui pluris histrionem faciunt, quam Dei Sacerdotem; pluris parasitos, & vanos fabulones, quam Dei prædicatores. Hic est Herodes, filius magni Herodis, qui occidit innocentes; habebat autem vxorem fratris sui, quem de eo crimine corripiebat Baptista, cupiens eum sanare, sed inde occidit eum. Qui & Christum quæsiuit occidere, vt est Luc. 13: vbi eum vulpem vocat, ob dolos, simulationes, vitiorum factorem. Interrogatus autem multis ab Herode Christus, tacuit omninò, quia nihil profuisset loquendo. Non sunt mittendæ margaritæ ante porcos. *Obmutui, inquit in Psalm. & humiliatus sum, & filii à bonis, cum confisteret peccator aduersum me. Vnde & spreuit eum Herodes cum suis tanquam stultum, & remisit*

Marc. 6.

Luc. 13.

Matth. 6.

Psal. 38.

Iob 12.

Ibidem.

Sap. 5.

*indutum veste candida*: Ludibrii causa, quod ea vestis solis cognatis regijs concedi solita; & nesciens innocentem declarat. Criminis enim reus atratus fisti solet, vt est apud Iosephum. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum*; homo virtutibus emicans, vitæ meritis coruscans. Et, *Deridetur iusti simplicitas*, & innocentia; hoc est Diaboli artificium. Sed illud serò deplorant impij in iudicio; *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum*, &c. videntes sanctos in gloria. *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus*. Videretur significari amicitia Iudæorum & gentilium in persecutione Christi, & Ecclesiæ. Sic hæretici, licet inter se grauius conflictentur, ac dissideant, tamen vnam Christi sponsam eodem malevolentia spiritus, communique conspiratione persequendo fatigant; ita etiam nunc amici fiunt Pilatus & Herodes, vt Christum spernant, ludificentur, persequantur.

### De electione Barabba.

**C**V M autem Pilatus etiam hinc occasionem caperet liberandi Christum, quod ipse Herodes videretur eius testari innocentiam, quod nihil ei ab eo factum esset mali, nec sic proficeret, aliud inuenit consilium, ex consuetudine in Paschate reum dimittendi, quemcunque petiissent. Statuit ergo duos, Christum & Barabbam, vinctum insignem, scelere infamem, qui erat seditiosus, & in seditione

ditione fecerat homicidium, ac totam perturbauerat ciuitatem. Putabat autem Pilatus ipsos certò electurum Christum, eumque, et innocentem proballent, nullo modo in icelere comparandum Barabbæ. Sed elegerunt Barabbam; *Non hunc, sed Barabbam*; id est, elegerunt mendacium pro veritate, mortem pro vita, peccatum pro iustitia, hominè impium pro Deo. Hoc exprobrat eis Petrus in actis, exaggerans eorum scelus, vt eos ad pœnitentiam prouocaret; *Vos, inquit, Sanctum & iustum negastis, & petistis homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfecistis.* Et vsque in hodiernum diem habent Iudæi quod petuerunt, nempe Barabbam, id est, Diabolum latronem, ac post mortem Christi adeo seditionibus & latrocinij studuerunt, vt à Romanis penitus euerterentur; sed & hætenus apud omnes gentes patent cædibus & direptionibus.

Dixit eis Pilatus, *Quid ergo faciam de IESU, qui dicitur Christus?* omnes clamant, *Crucifigatur*, non afficiatur morte simplici, sed crudelissima & ignominiosissima. Nullam reddentes rationem, sed sicut feri leones, sine ratione IESUM crucifigi postulantes. Tunc impletum est illud, *Facta est mihi hereditas mea, quasi leo in silua.* Et illud; *Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ; & lingua eorum, quasi gladius acutus.* Conqueritur Dominus; *Duo mala fecit populus meus; Me dereliquerunt fontem aqua viua*, id est, voluptatis indeficientis; *& foderunt sibi cisternas dissipatas.* Tales sunt mundus, caro, cuius voluptas non durat, citò perit, & pro ea

æterna pœna retribuitur. Dicitur homini & *Apposuit tibi ignem & aquam; ad quod volueris, appone manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi;* Sed hæc est stultitia vel potius hominum infantia: eligunt mortem, vitam deserunt; eligunt malum, bonum contemnunt. Sic faciunt hæretici, veritatem, quæ Deus est, perdunt; eligunt errores, quorum author Diabolus, qui *mendax est, & pater eius.* Sic faciunt mali Catholici, virtutem repudiant, vitia eligunt; Christo renuntiant, Diabolo seruiunt, qui latro est animarum.

Eccles. 15.

Ioan. 8.

*De iniurijs & contumelijs Christi a militibus Pilati acceptis.*

**C**V M hoc consilium non succederet, aliud elegit, permisit eum varijs iniurijs & contumelijs affici à suis militibus & toto suo exercitu, qui gentilium erat, & valde Iudæos oderant, ad mitigandos procul dubio inimicorum animos. Exuunt ergo eum suis vestimentis. Ante oculos gentilium impudicorum nudatus est Christus, castitas virginea; & filius virginis dignatus est erubescere, vt impudicitiam & impudentiam nostram auferret a nobis. *Et circumposuerunt ei chlamydem coccineam, seu purpuream, in signum dignitatis Regiæ: Et plectentes coronam de spinis, loco diadematis regalis, posuerunt super caput eius: Et arundinem, tanquam sceptrum regale,*  
*in dextera*

Leo Ser. 8.  
de Pass.

Matth. 27.

*in dextera eius: Es genuflexo, quasi adorantes cum, quomodo reges adorari solent, illudebant ei, dicentes; Ave rex Iudaeorum: percussiones caput eius arundine, ut spinæ altius infigerentur: Et, ut habet Ioannes, Dabant ei alapas, dum cum salutarerent, impropertantes ei crimen impositum, quod se Regem Iudaeorum diceret. Quam illusionem prædixerat, dicens: Tradetur gentibus ad illudendum: & impletum est illud Prophetæ, Opprobrium insipientium dedisti me. Sed nescientes magna nobis Sacramenta tribuerunt, inq. Hieron. In chlamyde coccinea cruenta gentilium opera sustentat; in spinea corona significatur, Christum spinas peccatorum nostrorum sustulisse, quibus cor nostrum oppressum erat; per hoc quod auribus suscepit ignominias, sanauit serpentis sibilum per aures Eua ingressum, inquit Theophyl. In arundine, multiplex hominum vanitas, ac præcipue in rebus transitorijs fiducia significatur: In adoratione deridentium, irreuerentia nostra erga diuinam Maiestatem: In salutatione, orationes, quas solis labiis ei effundimus; per has videtur rex agnosci, cum nihil corde agatur.*

Math. 20.  
Psal. 38.

In Com-  
ment.

In cap. 27.  
Math.

### *De flagellatione Christi.*

**D**Einde iussit eum crudeliter flagellari, atque hoc totum ad satisfaciendum furori Iudaeorum, ut, videlicet, miserabili Christi afflictione, eorum iracundiam mitigaret, atque ita Christum liberum dimitteret. Flagel-

In Epitaph.  
Paulæ.

lacionem Christi ad columnam factam testatur Hieron. ad Eustochium de Paula Matre ; *Ostendebatur illi, inquit, columna, Ecclesia porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam unctus, & flagellatus dicitur.* Quam fideles corrigiis textilibus circumdantes, easque recipientes, multis infirmitatibus profunt, inq. Greg. Turon.

De gloria  
Martyr.  
cap. 2.

Porro quantis & qualibus Christus fuerit flagris cælus, non vsque ad eum ex Scriptura patet. Sed tamen ex eo graniter flagellatum fuisse perspicuum est. 1. Quod Pilatus ad cõmiserationem cupiens illos trahere, exiens cum eo, portante coronam spineam, & purpureum vestimentum, ostendensque eum populo, dixit, *Ecce homo*, indicans miris modis flagellatum fuisse, & concisum Christi corpus. *A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Et, *Non est ei decor neque species: vidimus eum, & non erat aspectus.* 2. Ex eo patet, quod flagellationem suam, tanquam singulare malum prædixerit. 3. Ex illo loco, *Congregata sunt super me flagella.* Quod magnam flagellorum multitudinem significat. 4. Gaudet crudelitate genus militum; nec acceperant isti legem, ne cuique ultra 40. plagas infligerent, quod iubetur in Deutero. Paulo Iudæi fecerant gratiam unius, dantes ei 39.

Ioan. 19.

Ifai. 1.

Ifai 53.

Luc. 18.

Pfal. 34.

Deut. 25.

2. Cor. 11.

Ifai, 53.

Pfal. 31.

Causam flagellationis dicit Ifaias; *Disciplina, seu flagrum pacis nostræ, quo reconciliamur Deo, & euadimus debita flagella, super eum: & liuore eius, seu vibicibus, quas ex flagris contraxit, sanati sumus.* Quia igitur *multa flagella peccatoris, ut sperantem in Domino misericordia*

dia

dia circumdaret, etiam Christus flagris multis cæsus est, ut æternis flagellis amotis, vulnera peccatorum nostrorum sanaret. Et quanquam omnia peccata nostra portauerit, proprie tamen illa hic tulit, quæ libidinosis actibus committimus, nimium fouendo carnem nostram, unde & flagitia vocantur, id est, flagris digna; quod prohibet Apostolus, *Carnis Rom. x3. curam ne feceritis in desideriis: Et, Desideria carnis non Gal. 5. perficietis.*

*De condemnatione Christi ad  
mortem.*

**C**VM nec hoc consilium succederet, sed acrius eum ad crucem postularent, tradidit Pilatus eum voluntati eorum, non quia meritis, sed volens eorum petitioni satisfacere, & timens ne accusaretur apud Cæsarem, eiusque inimicitias incideret. *Si adhuc hominibus placerem, ait Apost. Christi seruus non essem.* Et Cypria. *Multum refert, utrum quis Deum demereri studeat, an homines.* In fontem ergo fateretur, lauanisque manus, dicit Iudæis; *Innocens ego sum a sanguine iusti huius*; ut ostenderet se immunè a scelere, & iniquissima cæde Christi, eò quod quantum in se fuit, ut putabat, voluit eum liberare. Sed, ô Pilate, si hic est iustus, & potestatem habes dimittendi eum, quomodo non es nocens, eum condemnando? Scis eum ex inuidia traditum, negligis *Hiero. in Comment.*

comparatione Iudæorum videaris innocens, grauissimum tamen est peccatum tuum, ideoque nec in hoc seculo diuinam vindictam euades. Scribit Eusebius, quod actus in exilium, ibique plenus calamitatibus, desperatione sibi mortem consciuerit.

Lib. 1. ca.  
6. & 7. hist.

Matth. 27.

Dixerunt autem Iudæi: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Quæ imprecatio perseuerat adhuc super Iudæos, & vindicta sanguinis Christi non auferetur ab eis, nec in hoc seculo, nec in futuro; impleturque illud Danielis: *Occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Et infra: *Vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.*

Dan. 9.

Optimam hæreditatem reliquerunt filiis suis. Non contenti sibiipsis maledicere, etiam filiis maledicunt. Quam tamen sententiam misericors Deus non omninò confirmauit, inquit Chrysofost. Sed ex eis & eorum filius suscepit, qui pœnitentiam egerunt. Paulus enim ex eis fuit, & multa millia Iudæorum postea fidem susceperunt, qui eo sanguine, quem fuderunt, viuificati sunt: ac in fine mundi credituri dicuntur Iudæi. De quo vide Aug. lib. 2. quæst. Euang. q. 33. De Ciuit. lib. 20. ca. 29. Chryf. in cap. 11. ad Rom. Prosp. lib. 1. ca. 13. de Voc. Gent.

Cypria de  
bono pati-  
ent.

De



*De educatione Christi ad  
crucem.*

**I**nduerunt autem eum rursus vestimentis suis, ut agnosceretur ab omnibus esse condemnatus; & cum exirent prætorium, & ducerent eum ut crucifigeretur, *imposuerunt humeris eius crucem*, sicut habet Ioannes, quam solus portauit, donec inuenirent Simonem, qui tunc eam solus portauit, sequens Iesum fessum, & oneri succumbentem. Quem vi coegerunt portare recusantem; nec ipsi portare voluerunt, tanquam lignum maledictum, & ignominiosum. Pulchrè August. *Portat crucem suam Iesus, grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominia documentum; si pietas, grande fidei munimentum: rursus, si spectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum sui portare supplicij; si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat in frontibus regum; in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum.*

Significatur prætere a crucem Christi, eiusque merita, transitura ad alienos, id est, gentiles. Portat igitur Christus crucem, quia portat peccata nostra, mystice designans, quod corpus eius mysticum, quod est Ecclesia, abnegaret seipsum, & tolleretur crucem suam: ut ipse Christus ante monuerat, dicens; *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem*

Ioan. 19.

Tract. 117.  
in Ioan.

Matth. 163

CRUCEM

Matth. 10.  
Gen. 22.  
crucesuam, & sequatur me. Et, Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Hic impleta est figura de Isaac, qui ligna portauit ad suam immolationem.

Dum autem duceretur, sequebatur eum magna multitudo populi, & mulierum, qualamentabantur & plangebant eum. Quomodo ergo ipse dicit in Psal. 68.  
Luc. 23.  
Psal. 115.  
2. Theff. 1.  
Greg. lib. 3.  
Moral. ca. 4.  
1. Pet. 4.  
Psalmo; *Quæsiui, qui simul contristaretur, & non inueni?* Non timul contristabantur, quia non ex eadem causa. Dominus enim flebat peccata, illæ supplicia, quæ in Christo potius erant ornamenta. Hinc ad eas conuersus; *nolite, inquit, flere super me*: reprehendens earum luctum, quia tormenta eorum qui pro veritate & iustitia moriuntur, gemmæ sunt, & pretiosæ margaritæ. *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius.* Nolite ergo flere super me, sed super vos & filios vestros, me occidentes. Peccata lugenda, vt præueniatur ira Dei. Nam venient dies, quando dicent, *Beata steriles, &c. tunc dicent montibus, Cadite super nos.* &c. ne, videlicet, veniat ira Dei super nos. *Si enim in viridi ligno, quod fructum facit, hæc faciunt, in arido quid fiet?* Dicit Paulus, quod *iusti patiantur in exemplum iusti iudicii Dei, quod, videlicet, exercebit in reprobos.* Si enim Dominus amicis suis non parcat, quomodo puniet hostes? Si sic flagellat quos amat, quomodo puniet quos odit? similis est sententia D. Petri; *Tempus est vt incipiat iudicium a domo Dei: Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelios?*

Cum autem ventum esset ad locum supplicij, factore plenum, communem reorum, obtulerunt

obtulerunt ei potum (*illudendo, ne Regi etiam pincerna dceffet, inq. Theophyl.*) Sed *cum felle & myrrha mixtum*: simulantes pietatem, loco potus confortantis & exhilarantis, qui piè condemnatis dari solet (vt & hodiè.) Vnde & Sap. Prou. 31. *Date ficeram merentibus, & vinum his qui amato sunt animo.* Potum autem hunc gustauit, vt sanaret corruptos gustu vetitæ arboris, & peccata gulæ extirparet a nobis. Noluit autem bibere, vt ostenderet se non imbibisse venenû anti-qui serpentis, scilicet concupiscentiam prauam, sed tantummodo pœnam peccati assumpsisse pro nobis, sine interna macula.

### *De supplicio crucis.*

**M**ors crucifixorum est acerbissima & ignominiosissima: Akerbissima quidem, quia durat supplicium, eò quod in locis remotis a corde configuntur, & quia grauitas corporis continuo auget dolorem pondere suo. Ignominiosissima, quia omnium inspectioni & risui exhibetur cruci affixus, & diu durat ignominia. Christo autem crux longè fuit acerbior cæteris. 1. Quia corpus eius optimæ & tenerrimæ complexionis, vtpote formatum per Spiritum S. in vtero virginis, efficacissimè percepit omnia lædentia. 2. Quod se ipsû non sit consolatus, nec mitigauit dolorè per redundantiam rationis ad partes inferiores, sed permisit vnicuique virium, quod erat ei proprium. 3. Maximus etiam dolor, non sic stupe-

stupefecit eum, vt minus perciperet dolorem minorem, quod fit in alijs: vnde non minus fiti afflictus fuit, quā si nihil aliud passus effet.

Elegit autem crucis supplicium, *vt medicina morbo responderet*, inquit Hieron. & Damasc. Fuit lignum causa mortis, sit & vitæ. Primus Adam superba & libidinosa extensione manuum ad arborē scientiæ boni & mali vitiauit genus humanum: Secundus Adam ascendendo arborem stultitiæ, & manus in ea extendendo, idem sanauit a superbia & libidine.

2. Vicerat Diabolus per lignū, & ex eo chirographum scriptum contra nos obtinebat, idem per lignum victus est, & illud chirographum deletum, & in suam ignominiam cruci affixum vidit. 3. Quia concupiscentia nostra clavis timoris Dei est transfigenda. Dicit enim Psalmista *Confige timore tuo carnes meas*. Vt autem hoc præstaret nobis Christus, clavis configi voluit. Vnde Apostolus; *Vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo*, quia virtute crucis comprimitur nostra concupiscentia. Et ipse de se, *Christo confixus sum cruci*.

4. Maximè conuenit illi expansio manuum, quia amore nimio omnes attrahere volebat, iuxta id quod promiserat; *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me*. Vnde Theophylactus: *Extendis, inquit, manus suas, vt in vlnas susciperet, & congregaret filios Dei dispersos*.

5. Similiter exaltatio in altum, & expansio manuum illi conuenit, ad quem de toto mundo, in profundo peccatorum demersi, pro sanitate clamaturi erant.

*Quomodo*

*Quomodo crucifixus.*

**C**Rucifixus est inter duos latrones, tanquam princeps eorum, ut impleretur illud, *Et cum iniquis reputatus est.* Aduerte quam grauis pœna fuerit iustissimo, cum sceleratissimis reputari, & latronum princeps haberi. *I. Iai. 53.*

2. Crucifixus est clauis transfixis per manus & pedes, ut patet ex Euangelio & Psalmo: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* 3. Admodum extensus in cruce, unde subditur in Psalmo: *Dinumerauerunt omnia ossa mea. Non potuit melius,* inquit August. *describi extensio Christi in cruce, quam dicendo, dinumerauerunt omnia ossa mea.* *Psalm. 21.*

4. Ut ait D. Ambros. nudus pependit in cruce qualiserat Adam in Paradiso, & quales nos nascimur. Sic & Chrysof. dicit, quod denudauerunt eum. Et huic satis consonat figura de Noë nudato, quam pulchrè explicat D. August. contra Faustum. Consonat etiam figura de Dauide, qui dum ex nimia deuotione nudaretur, à Michol sterili, id est, Synagoga Iudæorum, irrisus est. Sic nobilis vir Isaias iussu Domini nudus incessit. *Psalmista etiam dum dicit; Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me, & statim subdit: Diuiserunt sibi vestimenta mea.* Quod omnes Euangelistæ diligenter annotarunt esse completum, videtur respicere ad impudicam Iudæorum inspectionem, qua pudibundam nuditatem castissimi corporis Domini viderunt. *Gen. 9. Lib. 12. c. 23. & seq. 2. Reg. 6. Iai. 20. Psal. 21.*

uis

uis autem Dominus non haberet carnem peccati, vel rebellem spiritui; tamen æque erubuit Christus, imò amplius quam quilibet nostrum, de ipsa similitudine carnis peccati. Cum enim verecundia sit timor vituperij, & inhonorationis, cumque ad hominum ignorantium æstimationem, nihil differant malum apparens, & quod verè existit, & malum falsò apparens, non minus oritur verecundia de specie carnis peccati, quam de ipsa carne peccati. Nudatus est igitur Christus & erubuit. 1. Ut nos ad eum statum reduceret, in quo nudi non erubesceremus, quia ante peccatum nihil rebellionis contra spiritum erat in carne humana. 2. Erubuit, ut ad salubrem pudorem reduceret. *Bonus pudor quo peccare aut peccasse confunderis*, inquit Bernard. 3. Ut spiritalem vestem, innocentia videlicet, qua latrones, id est, dæmones spoliauerant Adam eiusque posteros, ipsis restitueret. 4. Nudatus est, ut pudibunda peccata nostra, quæ omnia aperta sunt oculis Dei, sua nuditate tegeret. *Beati quorum testa sunt peccata, ne videantur*, id est, puniantur à Deo.

Serm. 29.  
Milit. Tem-  
pli, cap. 12.

Psalm. 31.

### De quibusdam alijs.

Serm. 2. de  
Pass.

Quoad tenebras, putat Hieron. quod *Sol retraxerit radios suos*. Vnde & Leo; quod *Sol seruitutem suam, diemque subtraxit*; & fuerunt super vniuersam terram. Nam Dionysius Areop. in Ægypto existens eas miratus est, dicens; *Aut Deus natura patitur, aut machina mundi*

*mundi dissolvitur*. Quoad vestimenta, Cyrillus In Ioan. lib. 12. c. 32 mytice interpretatur, per quatuor partes vestimentorum intelligens *quatuor partes orbis, quæ ad salutem reductæ, indumentum Verbi*, id est, *sarnem Christi impartibiliter inter se partita sunt*. Sic & August. nisi quod tunicam inconsutilem, In Ioan. tract. 1109 Charitatē intelligat, quæ forte obuenit, quia gratuito & misericorditer infunditur. In titulo crucis, qui scriptus tribus linguis præcipuis, significatur, quod ista fides qua creditur rex Iudæorum, id est, fidelium, eorum qui laudant Dominum, inscriberetur cordibus omnium nationum, nec vnquam aboleretur. Veri Iudæi sunt qui Dominum laudant de bonis suis, tanquam bonum, de malis suis tanquam iustum. Et significatur causa crucifixionis; sicut quando ponitur calix super suspensum, inditium est sacrilegij. Dominus hoc prouidit, vt passio Sanctorum distingueretur à passione malorum: illi enim erubescere habent, qui patiuntur vt peccatores; qui autem vt Christiani, gloriahtur. Hinc monet Petrus; *Nemo vestrum patiatut vt fur, homicida,* 1. Pet. 39 *Ec. Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.*

### De septem verbis.

**I**N hac cruce Christus tres horas pendens, inter varias irrisiones, contumelias, blasphemias Principum, militum, & aliorum;

**Y** qui-

quibus supplicium crucis asperabant, iacientes in eum tela linguarum, in quem manibus amplius læuire non poterant, septem verba protulit doctrinis ac mysterijs plenissima.

Tract. 119.  
in Ioan.

Vnde rectè D. August. *Lignum cui affixa sunt membra patientis, cathedra fuit Magistri docentis.*

Lib. 7. de  
pred. c. 25.

Et dicit S. Prosper, quod *Christus in cruce similis factus sit fidibus ex ensis in Davidis cythara. Ut enim fides in ligno extensa & percussa suauem edunt sonum, atque concentum; ita ipse in ligno extensus, has summa suauitatis dabat voces.*

### I. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Luc. 23.

**D**Ocet Christus, quid cogitare & facere debeamus, quando iniurijs afficimur. 1. Eorum peccata excusanda, minuenda, sicut hic Christus, *Nesciunt quid faciunt*, ne ab eorum amore alienemur, quod facile alioqui fieret; & ut spem remissionis ac veniæ concipiamus, quando pro eis oraturi sumus. Exaggeranda peccata, quando homines adducendi sunt ad pœnitentiam, ut veram agant; uti Petrus; *Petijstis homicidam donati vobis, auctorem verò vitæ interfecistis.* 2. Non esse reddendum malum pro malo, sed bonum pro malo, ut hic Christus pro crucifixoribus suis orās, quod de eo prædixerat Propheta; *Et pro transgressoribus orauit.* Hoc ipsum verbo etiam suos docuerat, *Orate pro persecuentibus vos.* Quod & disci-

Act. 3.

Isai. 53.



discipuli eius imitati, Stephanus, Iacobus, & alij. Christi hostium suorum dilectoris participes non erunt, qui odium fouent in animo, vindictam meditantur, vt plerique solent iniuria aliqua affecti.

## II. Hodie mecum eris in paradiso.

LUC. 23.

**A**llusio videtur ad paradysum terrestrẽ, in quo positus est primus homo: ibi erat lignum vitæ, quod præseruasset eum à morte, si non peccasset; & erat typus æternæ Sapientiæ quæ est in paradiso cælesti, de qua Scriptura: *Lignum vitæ est, dans vitam & felicitatem æternam, amplectentibus eam* brachijs, videlicet, fidei & charitatis. Qui ergo pascitur contemplatione æternæ Sapientiæ, qui Christus est, qui illum, id est, eius Diuinitatem videt, sicut latro statim à morte, ille in paradiso est. Exemplum latronis docet neminem desperare, etiam in extremo vitæ, sed etiam tunc ad crucifixum confugiendum, paratum etiam tunc recipere in gratiam. Sed hoc notandum, ne patientia Dei abutamur, differendo conuersionem de die in diem, vnum solum esse in Scripturis exemplum eius qui in sine pœnituit, & receptus est. Ferè enim contingit, vt qui sanus in vanum gratiam Dei recipit, in morte non agat veram pœnitentiam. Vnde S. August. *Percutitur hac animadu-*

Prouerb. 3.

Serm. 3. de  
sione Innocent.

sione peccator, ut qui viuens oblitus est Dei, moriens obliuiscatur sui.

### III. Mulier ecce filius tuus. Ecce Mater tua. Ioan. 19.

Ioan. 2. &  
ibid, Aug.

**I**N operatione miraculorum matrem non agnouit, ut in nuptijs; *Quid tibi & mihi mulier?* inquit S. August. Quia non operabatur illa secundum naturam ab illo acceptam, videlicet, humanam; sed acceptam à Patre, id est, diuinam. Hic autem agnoscit matrem, ei custodem & prouisorem designans, quia secundum naturam à matre acceptam, patiebatur, hinc addebat; *Nondum venit hora mea*, videlicet, passionis, inquit Augustinus. Tunc tui curam habebō, quando id quod à te accepi, patietur. Exemplum bonum pro liberis, ut curam habeant matris, in quacunq; ipsi necessitate fuerint; sicuti Christus in articulo mortis, oblitus quasi propriarum necessitatum. Hinc Sapiens; *Gemitus matris tuæ obliuiscaris*, in gestatione, partu, educatione. Tobias ad filium; *Honorem habebis matris tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula pro te passa sit in utero suo.* Rursum Sapiens; *Qui fugit, id est, deserit, non iuuando, matrem, ignominiosus & infelix est. Et, Est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.*

Ecclef. 7.

Tob. 4.

Prou. 19.

Ecclef. 3.

IV. Deus

IV. *Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Matth. 27.

**D**erelictus est, quia temporaliter non adiutus; Olim liberabantur corporaliter: proieciabantur in ignem, ignis non nocebat, ut tres pueri: obijciabantur leonibus, non lædebantur; ut Daniel: Ionas in ventre ceti laudat Deum, & euomitur: inuadebantur ab hostibus, liberabantur, etiam per paucos, ut Machabæi. Et quando non liberabantur corporaliter, intus eos Deus consolabatur, sic ut minus sentirent pœnas, in ijs gloriarentur. Dominus ergo rogat Patrem, *Ut quid dereliquisti me?* nec interius consolando, nec exterius liberando. Et *non est querela, sed doctrina*, inquit S. Leo. Clamando intentos nos facit, ut causam quæramus: Causa est; Derelictus est propter peccata nostra, quæ sic abolere debebat. Vide ergo quomodo odisse peccata debemus, ob quæ derelictus est Dominus, & tanta passus. Deinde, Quam grati, & quanti dilectores esse debemus eius, qui propter nos derelictus est in tantis pœnis? Vnde ipse in Psalm. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* & David; *Dominus retribuet me*, id est, soluet meum debitum. Secundo, derelictus est, ut discamus amare cælestia, terrena contemnere, quæ sunt veteris testamenti. Prosperitate corrumpimur, aduersitate erudimur, purgamur, & pa-

Serm. 16.  
de Pass.Psalm. 68.  
Psal. 137.

ramur ad regnum : Sic ut inter huius vite pericula, & aduersa, magis nobis optandum sit, ea tolerando superare, quam effugiendo declinare, inquit S. Leo. Illa est liberatio noui testamenti; de qua Apost. ad Timotheum : Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum caeleste. Sic liberati sunt Martyres. Hoc promittit, dicens; Ego uobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Non sic ut nihil patiamini aduersi, sed ut nulla saeuientium crudelitate superedmini, inquit S. Prosp.

Serm 16.  
de Pass.

2. Tim. 4.

Matth. 28.

Lib. 2. c. 2.  
de voc. gēr.

## V. Sitio. Ioan. 19.

Verè sitiebat Dominus, totus exsiccatus, post tot labores, post tantum effusum sanguinem. Sed quare non expresse etiam queritur de clauis, alijsque innumeris tormentis? nisi quia per hoc designabat ardentissimam sitim, quam habebat erga nostram salutem? propter quam etiam omnia ista patiebatur. Beati qui serua uita suae conuersione Dominum potant. Ipsius cibus, ipsius potus, nostra bona uita. *Da mihi bibere* dicebat Samaritanae, quod spiritualiter intelligitur. Sitioebat enim eius fidem, inquit August. & conuersionem; quia infidelis erat & luxuriosè uiuebat, & ad hoc uenerat; & cum illa loquebatur, ut fidelem faceret, & à peccatis liberaret. Videamus, ne uobis dicat in extremo iudicio spiritualiter, *Sitini, & non dedisti mihi bibere,*

Ioan. 4.

ibid. Aug.

Matth. 25.

*bibere, Ite maledicti in ignem aeternum.* Vel quod peius est, de nobis queratur quod de Iudæis; *In siti mea potauerunt me aceto:* quando pro fide, blasphemiam; pro iusticia, iniquitatem reddimus. Et de vinea, quæ expectata, ut faceret uvas, & fecit labruscas. Psal. 68.  
Isai. 5.

VI. *Consummatum est.* Ioan. 19.

**I**N veteri testamento tria consideranda: Decalogus, Prophetiæ, Figuræ. Omnia impleuit. Decalogum plenissime in se, sic ut ne quidem in minimo à perfectissima iustitia discederet. In nobis etiam implet, quia spiritum & gratiam nobis largitur, ut nos etiam impleamus: *Ego faciam, inquit, ut in præceptis meis ambuletis.* Prophetias impleuit, quia quæcunque Prophetæ, spiritu Dei afflati, prædixerunt de Christo, eius natiuitate, doctrina, vita, miraculis, passione, morte, in ipso completa sunt, ut patet ex Euang. Figuras etiam impleuit, quia veritatem exhibuit per illas significatam. Hinc ipse ad discipulos; *Non uenissolueret legem aut Prophetas, sed adimplere.* Et *Apo<sup>st</sup>olus; Finis legis Christus; Finis, inquit August. non consumens, sed consummans.* Ezech. 36.  
Matth. 5.  
Rom. 10.  
In Psal. 54.

VII. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.*

**E**Xemplum dat nobis Christus, ut nostrum spiritum commendemus in manus Domini semper, sed maximè in exitu nostro, tam periculoso, in manus, inquam, misericordiæ & potentiæ Dei. Diabolus in eo non habebat quicquam, etsi etiam ad illum veniret in cruce, ut testantur D. Basil. & Gregor. sicut venit ad S. Martinum, & alios. Et ad quid? Fur non venit, nisi ut furetur & mactet, ac perdat. Cur ergo tam diligenter commendavit spiritum in manibus Patris? Nos docens. ibi enim securæ sunt animæ. Iustorum anima in manu Dei sunt, ait Sap. & non tanget illos tormentum mortis. Nemo potest oves meas rapere de manu Patris mei, inquit Christus. Quis a te separat, quod diligis? ait August. aut ubi, nisi apud te firma securitas: Manus tua, Domine, fecerunt me & plasmaverunt me, opera manuum tuarum ne despicias in illas, animas nostras suscipe, hinc exeuntes. In illis tutissimæ custodiuntur, ne dæmones calcaneo, id est, fini nostro insidiantes, (sciunt esse momentum, unde dependet æternitas) eas ut leones rapiant. Oret ergo moriens cum Sapiente; Libera me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus preparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam. Oret cum Davide; Domine Deus in te speravi, saluum me fac ex omnibus perse-

perse-

In psal. 17.  
hom. 39.  
Ioan. 10.

Sap. 3.  
Ioan. 10.  
Lib. 2. conf.  
cap. 6.  
Psal. 118.  
Psal. 137.

Gen. 4.

Eccl. 51.

Psal. 7.

*persequentibus me, & libera me, ne quando rapiat ve-  
leo animam meam, dum non est qui redimas, neque qui  
saluum faciat.*

*Alia explicatio eorundem ver-  
borum.*

1. **S**Ciens Christus se iam agere sacerdotem  
in altari crucis, & impiis æternam Patris  
sui imminere iram; orauit pro impiis se cru-  
cificantibus & blasphemantibus, in typū om-  
nium, qui adhuc in suis sceleribus sunt, & Dei  
gratia ad veniam sunt peruenturi. Ait ergo;  
Fac crucifigentes & blasphemantes me pœ-  
nitentes, & ignosce eis, quia nesciunt quid  
faciant, vel decepti ruditate, vel malitia ex-  
cæcati. Videte suauissimum Christi pectus  
erga tales hostes. Quis non sperabit in eo?  
quis non amabit eum sic amantem? Si pro  
crucifigentibus se exorat, quid faciet pro in-  
uocantibus se; & quærentibus seruire ei? Re-  
ijciet inuocantes se, talia passus, & talia  
orans pro hostibus? Et cupientibus spiritum  
eius, vt eum semper laudent spiritum suum  
negabit? Non negabit, sed cum misericor-  
dia copiosa in illos effundet. Docet hic etiã,  
quod ante omnia curandum, vt inimicos di-  
ligamus, & peccantibus in nos ignoscamus,  
alioqui minimè partem cum eo habituri.

2. *In patibuli specie spectanda forma iudicij, vbi Leo ser. 4.  
figt de Passi*

*fiet omnium hominum discretio.* Latro dexter saluandos significat, sinister damnandos. Et notandum contra hæreticos, qui dicunt bonum latronem vacuum meritis salutem adeptum, varia eius fuisse merita. 1. Patientiæ, qua libenter cum Christo innocente cruciamenta ferebat. 2. Fidei, qua in Deum crucifixum credebat. 3. Charitatis, qua ei iungi flagrantissimè cupiebat. 4. Humilitatis, qua se digna pati sentiebat. 5. Orationis, qua sibi petebat ignosci. 6. Zeli, quo socium arguebat, & eum etiam conuertere volebat, vt S. Chrysof. Atque hic docemur, quod pœnitentia nunquam fera, si sit vera. Sed hoc sciendum, quod pœnitentia fera, rarò vera. Qui enim tunc demum pœnitent, inquit D. Ambros. *magis videtur a peccatis deserui, quam ea deserere: & magis timorem mouentur, quam charitate.* Verendum quoque, inquit idem, *ne hora mortis dilatam pœnitentiam præoccupet.* Et nemo vel de momento vitæ est securus. Audienda ergo sententia sapientis; *Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

In exhort.  
ad pœnit.  
Lib. 2. de  
pœnit. ca.  
vlt.

Eccles. 5.

3. Christus cum certò ordine, vt par erat, sacerdotio, in eorum qui magis in ligebant cura functus esset, curam etiam matris tanquam bonus filius gessit; & ait illi, *Mulier,* (nomen sexus, & quia peperit) *ecce pro me, qui tuicurâ, vt bonus filius gessi, Ioannes erit filius tuus, qui tuis deinceps obsequiis obstrictus erit; vt filius matris.* Et discipulo,  
*Ecce*



*Eccemater tua*, cuius deinceps curam habebis, ut matris. Felix Ioannes qui locum Christi suppleuit in custodienda tam nobili matre. **At** dura commutatio Mariæ, pro filio creatoris habere filium peccatoris; pro iusto, peccatorem. Grata tamen Matri hæc commutatio, quia voluntas erat filij. Mystice autem Christus constituit Matrem, Matrem omnium habentium gratiam Dei, omnium discipulorum Christi, omnium habentium integritatem fidei, quorum typum Ioannes gerebat. Ad illam ergo tanquam ad Matrem nostram, in omnibus necessitatibus nostris confugiamus, dicentes cum Ecclesia, *Monstra te esse Matrem, &c.*

Vide Ber.  
in ser. de  
12. ltel.

4. Vocula, quare, est rogantis & ingemiscientis, ut Cyrill. ait, sicut & in Exodo; *Quare, Domine, irasceris populo tuo?* Et in Psal. *Quid multiplicati sunt, qui tribulant me:* Et Isai. *Quare, Domine, errasti nos fecisti de via tua?* Vbi, pro, quare, rectè ponatur *Heu*. Sensus ergo est; Deus tu me reliquisti in omni miseria, nunc derelinquis in morte, nec consolando, nec eripiendo; heu Domine, ne amplius derelinquas me. Est igitur hæc vox, Ut quid dereliquisti, soluentis manifestè derelictionē quæ nobis acciderat; & quasi placantis in hoc Patrem, & vocantis ad benevolentiam erga nos, tanquam erga seipsum, & primum. Ipse enim vnus derelictorum fuit, secundum quod & ipse participauit carni & sanguini. Orat ergo & ingemiscit finiri derelictionem. Ipse enim

De recta  
fide ad  
Regin.  
Exo. 32.  
Psal. 3.  
Isai. 63.

enim derelictus est, ut nos non derelinquamur, qui digni eramus desereri a Deo. Dicamus ergo ei, qui propter nos derelictus est, *Adiuuor noster esto, ne derelinquas nos.* Et; *Tu in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.*

**Psal. 26.**  
**Jerem. 14.**

**Psal. 68.**

5. *Dixit Satio.* Ut consummaretur scriptura de se scripta, *Et in siti mea potauerunt me aceto.* Et, *Adhasit lingua mea faucibus meis,* videlicet, præ ardore sitis. Significatur etiam ardens eius sitis erga nostram salutem, felix qui bonis operibus cum potat. Et si sit tibi anima, sicut terra sine aqua, recordare sitis Christi, ut sis ex numero eorum, de quibus Isaias; *Egeni & pauperes quarunt aquas, lingua eorum siti aruit, Ego Dominus exaudiam eos.* Etiam hic ferebat peccata ebriosorum, qui ebrij adhuc sitiunt. Utinam per hanc sitim dignetur nobis largiri Christianam sobrietatem, & a nobis auferre gentiliū ebrietatem, ex qua grauissima mala oriuntur. *Quid non ebrietas designat?*

**Isai. 41.**

**Horat.**

6. Totum quod de me scriptum est, quod, videlicet, passionem præcedere debebat, statim consummandum. Vbi ostendit se esse qui præsignatus est per omnes Prophetas & figuras. Quæ cum sint innumeræ, considera Ioseph filium Iacob. 1. Diligebatur a patre. sic Christus; *Hic est filius meus dilectus.* 2. Fecit ei Pater vestem variam, Pater Christi Ecclesiam circumdaram varietate. 3. Mittitur a patre ad visitandos fratres & oues, sic & Christus, ut patet in Euang. 4. Ioseph odio habitus

**Genes. 37.**  
**39. & seq.**  
**Matth. 3.**

**Psal. 44.**

bitus à fratribus, Christus à Iudæis. 5. Quæ-  
runtur à fratribus ad mortem, somniator ve-  
nit, Venite occidamus eum. Christus à Iu-  
dæis, Venite occidamus iustum. 6. Venun-  
datur Ioseph, etiam venditur Christus. 7. Io-  
seph dilexit, & benefecit fratribus inimicis,  
Christus orauit pro crucifixoribus. 8. Ioseph  
post mirabiliter exaltatus, & dictus Saluator, *Phillip. 2.*  
etiam Christus.

7. Hoc versu Psalmi vsus est propter nos. *Athanas.*  
Per hæc enim verba, & mortis suæ merito, *con. Apoll.*  
animas nostris corporibus exutas apud Pa- *Cyri. de fi.*  
trem deponit, vt à morte Christi iam non *de ad Reg.*  
amplius ad limbum descendant, sed ad ipsum  
Dei Patris sinum perueniant. Ante aduentum  
Christi clausum erat cælum, etiam Abrahæ,  
etiam Martyribus: nunc autem statim à mor-  
te licet ire ad cælum. Cuius occasione admo-  
net Christianos Petrus, curam gerere salutis *1. Petri. 1.*  
oblatæ, quam tantum peramabant Prophetæ,  
vt desiderarent illo tempore in mundo viue-  
re, quo exeuntibus statim licet cælestia regna  
conscendere, inquit V. Beda. Christus sua *In illum*  
voluntate tradidit spiritum, pœnam extre- *loc. Petri.*  
mam huius vitæ suscipiens, vt compleret il-  
lud Propheticum; *Ero mors tua o mors;* & nos à *Osæ. 13.*  
morte peccati & corporis eriperet. Audi il-  
lum in Cant. ita loquentem; *Sub arbore malo* *Cant. 2.*  
*suscitauit te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est*  
*genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuum,*  
*vt signaculum super brachium tuum,* id est, Ego te  
exci-

excitavi à morte peccati, dum pro te in ligno crucis mortuus sum, vbi mater tua Eua per superbiam corrupta, & per apertam inobedientiam à Satana violata est. Reluceat ergo intus in corde, foris in opere, quod huius tanti beneficij memoriam nunquã deponis, dum & animam ab immunda cogitatione, & manum contines ab iniusta operatione. Gloria nostra, caput & origo beatitudinis, inquit Chrysof. libertas & corona, crux est. Aliæ cruces nihil mihi profunt, ait Ambros. sola crux Christi mihi utilis est; & verè utilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Crux tua, inquit Leo, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

Hom. 55.  
in Matth.  
Lib 6, in  
Luc. infine.

Serm. 8,  
de Pass.

F I N I S.





INDEX FESTORVM  
quibus hæc Monita à Conciona-  
toribus recte dici queant.

<b>P</b> rimum, in quolibet festo Deipara Vir- ginis.	fol. 1
Secundum, in festo Conceptionis, vel Nati- uitatis.	13
Tertium, in eodem.	25
Quartum, in eodem.	34
Quintum, in eodem.	43
Sextum, in eodem.	56
Septimum, in eodem.	65
Octauum, in festo Annuntiationis.	78
Nonum, in eodem.	90
Decimum, in eodem.	101
Undecimum, in festo Visitationis.	111
Duodecimum, in eodem.	123
Decimum tertium, in eodem.	132
Decimum quartum, in festo Purificationis. fol. 14 <sup>2</sup>	
Decimum quintum, in eodem.	156
Decimum sextum, in eodem.	168
Decimum septimū, in festo Assumptionis.	181
Decimum octauum, in eodem.	192
Deci-	

<i>Decimum nonum, in eodem.</i>	203
<i>Vigesimum, in eodem.</i>	213
<i>Vigesimum primum, in Natali Domini.</i>	221
<i>Vigesimum secundum, in festo V. Sacramen- ti. 229.</i>	
<i>Vigesimum tertium, in festo Assumptionis. fol. 239.</i>	
<i>Vigesimum quartum, in quolibet festo Dei- para Virg.</i>	247
<i>Vigesimum quintum, similiter.</i>	258



INDEX

# I N D E X

350

## R E R V M P R Æ C I P V A R V M, quæ prima parte Sacrorum Monitorum continentur.



*Belis, quæ fuerint peccata. Monito* 70  
*Abramæ iudicium tremendum.* M. 54  
*Abstinentia omni tempore præcepta.* M. 64  
*Abstinentiæ præceptum quanti fecerint veteres Sancti.*  
 M. 64.

*Abstinentia ab animalibus non ruminantibus, quid significet.* *ibid.*  
*item ab ijs quæ non habent fissas vngulas.* *ibid.*

*Abstinentia antiquorum Christianorum.* *ibid.*

*Abstinentia D. Bernardi.* *ibid.*

*Adamum non cibus, sed prohibitus cibus perdidit.* M. 64

*Adam, totam posteritatem suam in se tanquam in radice vitiauit.* M.

74. *In vno Ade peccato plura possunt intelligi.* *ibid.*

*Aduentus Christi prioris & posterioris varia differentia.* M. 60

*Aduentus Christi spiritualis in animam.* M. 115. *habitatio eius in ea, &*  
*mansio.* *ibid.*

*Affectiones non sunt omnes improbandæ.* M. 50

*Affectiones quæ sint laudabiles.* M. 75

*Affectus suos quæ lege debeat homo dirigere.* M. 68. 115

*Afflictionis vtilitas.* M. 6. *eam desiderant sancti. 29. in ea gloriantur.*

30. *causas habent varias.* *ibid.* *inordinate ante eam queritur re-*

*quies. 29. 49. cur eam huic vitæ tribuit, requiem futura. 49. an*

*Deus nostris cruciatibus pascatur?* *ibid.*

*Altare, sedes est corporis & sanguinis Domini.* M. 17

*Ex altari dispensatur victima sancta, quæ triumphatus est hostis.* *ibid.*

*Ad altare Domini petebat Monica sui fieri memoriam.* M. 57. *Quid*

Z mercan-

I N D E X

<i>mereantur, qui ab altari Sacerdotes auocant. ibid. Ad Altaria Christi stabulati equi, queritur. D. Hieron.</i>	M. 114
<i>Anima duplices habet motus, secundum spiritum, secundum carnem.</i>	M. 116.
<i>Anima pedagogus corporis.</i>	M. 67
<i>Animi imperio, corporis seruitio magis utimur.</i>	ibid.
<i>Animus non potest esse sine aliqua dilectione. M. 71. Et ipsa dilectio vacare non potest in anima amantis.</i>	ibid. & 115
<i>Auaritia duplex. M. 77. Quantum sit malum.</i>	54
<i>Auarus animam suam venalem habet.</i>	M. 54
<i>Auarus est omnis prodigus.</i>	M. 77
<i>Augustinus quid deslebat in vastatione Africana.</i>	M. 50

B

<b>B</b> <i>Abylon, ciuitas impiorum cur si dicta. M. 47. Quid eam faciat vel constituat. 102. Semper contrariatur ciuitati Dei. 14. Eius rex vel princeps Diabolus.</i>	M. 102
<i>Baptista cur solitudinem petierit.</i>	M. 82
<i>Baptismus qualis debeat precedere pœnitentia.</i>	M. 46
<i>Baptisati dicuntur quidam in spiritu. S. &amp; in nomine Christi. M. 115 non tamen nisi expressa inuocatione Trinitatis.</i>	ibid.
